



18.

Q. D. B. V. 1684, 28<sup>a</sup>

35

Consensu Superiorum

DISSERTATIONEM  
JURIS GENTIUM PUBLICI

De,

SPONSIONE  
ROMANORUM  
CAUDINA,

Cum Decade

*Controversiarum Juris Varii*

PRÆSIDE

DN. D. CHRISTIANO THOMASIO,

Solenniter proponit

Carl Heinrich Brice/von und zu Monkel/

Eqves Siles.

d. XVI. Decembr. M DC LXXXIV.

H. L. Q. C.

Literis JOHANNIS GEORGI.





*SERENISSIMI ET CELSISSIMI*  
PRINCIPIS  
DE LICHTENSTEIN &c.

In Incluto Oppaviensi Ducatu  
ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO  
CAPITANEO SUPREMO &c.

reliquisque

TRIBUS SUPREMIS STATIBUS PROVINCIALIB.  
ILLUSTRISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS  
IMPERII COMITIBUS,

REVERENDISSIMIS  
PRÆLATIS,

ILLUSTRIBUS AC GENEROSISSIMIS  
EQVITIBUS &c.

DOMINIS SUIS  
GRATIOSISSIMIS, GRATIOSIS, BENIGNISSIMIS,  
MECOENATIBUSQVE OPTUMIS MAXIMIS

Primitias has Academicas

Eâ quâ par est

Submissione & reverentiâ  
offert atqve dedicat

TANTORUM NOMINUM  
DEVOTISSIMUS CLIENS

Carl Heinrich Brüg.





## PRÆFAMEN.

**C**UM Jurisprudentiæ finis consentientibus facile Jctis consistat in expositione Juris ejusdemque ad facta singularia applicatione, melius me facere non posse putavi, dum specimen iis, qui studia mea dirigunt, edere jussus sum, quam si præcepta juris, in quibus addiscendis hactenus occupatus fui, facto alicui accommodarem, & hoc secundum eorum ductum examinarem. Arbitratus autem sum eò illustrius futurum argumentum, si missis privatorum controversiis seligerem quæstionem personas publicas & earum facta concernentem; simul sperans, ab audacia & temeritate, si quis easdem mihi vellet objicere, me liberaturum esse discursum eruditum, quem celebris Jctus Joh. Wolffg. Textor suæ Synopsi Juris Gentium præmisit. Quamvis itaque se offerrent abundè, præsertim his temporibus minus quietis, materiæ instituto meo aptæ eaque ferè infinitæ, tamen minus tutum ratus de illis scribere, qui proscribere possunt, & pariter perpendens nihil geri hodie quod non sit gestum prius, placuit thema eligere in quo vires ingenii exercerem ex historia Romanorum antiquâ, cujus justitiam aut injustitiam ultra dictas rationes eò melius videbar posse eruere, quo liberior propter antiquitatem essem à studio partium, ut quod alias maximoperè à recta juris applicatione solet abducere. Quod si igitur in ipsa tractatione me sæpius ab aliorum opinione recessisse deprehendes, Amice lector, id ne studio novitatis



adscribere velis rogo, sed potius cogitabis, in quæstionibus ex jure gentium quod summâ ratione nititur, decidendis, autoritatibus non fuisse pugnandum sed rationibus. Ne tamen & alterum Jurisprudentiæ finem, intellectum scilicet legum omisisse viderer, placuit paucis decadem thesium subjungere de jure vario inter Jctos maximos controverso. Tu vero quivis es, vale & fave.

## SUMMARIA.

*Historia belli Samnitici primi, §. 1. secundi, §. 2. tertii, §. 3. Sponsionis Caudine. §. 4. 5. Romani virtute bellicâ clari §. 6. an & justitiâ fuerint? §. 7. quod negatur. §. 8. 9. 10. Inquiritur in justitiam belli Samnitici primi. §. 11. & expenditur pro ea allata prima Flori ratio, quod id pro Sociis gestum fuerit. §. 12. 13. 14. tum altera quod pro deditis §. 15. 16. ubi simul tractantur quæstiones: Uter socius ex duobus præferendus sit, si uterque auxilia bellica desideret? §. 17. item an liceat socium posteriorem bello defendere contra antiquiorem? §. 18. usque ad 27. Respondetur ad ea quæ Albericus Gentilis pro istius primi belli justitiâ affert. §. 28. 29. & ostenditur obiter, quid fœdus iniquissimum apud Sigoniam denotet §. 30. Porro expenditur cur in fœderis renovatione Samnites expressè sibi caverint belli jus adversus Sidicinos? §. 31. 32. & cur Sidicinorum deditio non æquè à Romanis accepta fuerit ut Campanorum? §. 33. 34. De justitiâ belli Samnitici secundi §. 35. injustitiâ Samnitum, quod inducias violaverint §. 36. Deditio auctoris Brutuli. §. 37. Romanos non rectè de ditionem istam respuisse §. 38. 39. 40. Stratagema Pontii Samniticis §. 41. an licitum fuerit? §. 42. 43. 44. 45. Quæstio principalis de justitiâ Romanorum circa sponsionem Caudinam §. 46. ubi præmittitur quid sit sponsio? §. 47. usque ad 52. tum consideratur I. An Consulibus Romanis sponsio hæc imputanda fuerit? §. 53. II. An sponsores obligationi suæ satisfecerint? §. 54. Consideratur verò hæc distinctè (1.) quid sponsonderint? §. 55. (2.) quod vi hujus sponsionis ad diligentiam & curam fuerint obligati. §. 56. usque ad §. 60. & respondetur objectionibus Henniges eos planè non fuisse obligatos statuentis §. 61. 62. 63. 64. (3.) quod Tribuni militum quidem fidem suam liberaverint §. 65. non autem reliqui sponsores §. 66. & omnium minimè Posthumius §. 67. utpote, qui non solum Romanis, ut sponsionem non servarent svastit. §. 68. usque ad §. 73.*



sed & Tribunos militum prolixè refutavit §.74. usq; ad §.77. imò & perfidiã  
à Romanis ad Samnites, quamvis ineptè, transferre conatus est. §.78.79.80.  
81. III. An Romani deditioe sponforum fidem suam liberaverint? §.82.  
quod quidem affirmat Grotius §.83. sed ostenditur contrarium, & quod  
non tantum milites, qui sub Posthumio militaverant ad pacem servandam  
fuerint obstricti §.84.85. verum & ipse populus Romanus non quidem di-  
rectè ex sponsione, sed obliquè ex de in rem verso. §.86. usque ad finem.

§. 1.

**S**ponsio Caudina à loco in quo celebrata fuit, furculis nimirum  
Caudinis, ita dicitur. Sponsores hic Romani Consules, Samnitibus  
fiebat sponsio. Res paulo alius repetenda, sed breviter. Post-  
quam ob res Romanorum bene gestas, Samnites eorum amicitiam pe-  
tiissent, & ab ipsis fœdere in societatem essent accepti, (a) accidit ut  
postea Samnites arma inferrent Sidicinis quorum precibus commoti Campa-  
ni cum tulissent auxilia, omissis Sidicinis ipsimet à Samnitibus oppugnantur,  
& in summas redacti angustias à Romanis contra Samnites petunt auxilium.  
(b) Id verò à Senatu Romanorum, societatem cum Samnitibus allegante, &  
non nisi intercessionem coram Samnitibus promittente, haudquaquam impe-  
trantes, solenni modo se Romano populo dedunt. Tum jam fides agi visa Ro-  
manis fuit deditos non prodi, nec facturum aequa Samnitium populum cen-  
suerunt, si agrum populi Romani per deditioem factum oppugnarent ulte-  
rius. Mittunt ergo legatos, qui à Samnitibus pro societate amicitiaq; pete-  
rent ut parcerent dediticiis suis, cumq; hi apud Samnites parum proficerent  
(c) bellum illis solenni more indicunt. Victi in hoc bello Samnites & ex  
Campania pariter per M. Valerium Corvinum expulsi, atq; in ipso Samnio  
per A. Cornelium Cossam ope P. Decii tribuni militum fortiter debellati (d) pacem  
orant à Romanis & antiquæ societatis renovationem, utq; belli saltè jus  
adversus Sidicinos hostes antiquos nec populi Romani unquam amicos sibi  
relinqueretur. Neq; hæc solum impetrant omnia, sed & insuper Romani  
Sidicinos ad exemplum Campanorum paulo post se dedere volentes rejiciunt,  
deditioem videlicet istam tanquam seram ultimamq; necessitate expressam  
aspernati; quidquod & à Latinis, qui deditioem Sidicinatorum acceptave-  
rant, & à Campanis, qui injuriæ Samnitium magis quam beneficii Romano-  
rum memores Sidicinos iterum adjuverant, novo beneficio Samnites per  
Romanos liberantur. (e)

A 3

§. 2.

(a) Livius Dec. I. lib. 7. cap. 19. (b) Liv. d. l. 7. c. 29. 30. (c) Liv. C. 31.  
(d) Liv. l. 8. c. 1. 2. seqq. (e) Liv. lib. 8. c. 1. 2. seqq.



§. 2. Elapsis autem paucis annis nova belli adversus Samnites oritur occasio. Cum enim hi tanquam Paleopolitanorum socii multa hostilia adversus Romanos, agrum Campanū Falernumq; incolentes fecissent, feroxq; Romanorū Legatis à Samnitibus datum fuisset responsum, ad bellum simul ultro provocantibus (f) non solum industria Q. Fabii Maximi, Magistri equitum, Samnitum viginti millia caesa sunt (g) sed & paulo post non minori clade, qua à L. Papyrio Crasso affecti erant, subacti, pacem à dictatore Papyrio Cursore petierunt, à quo ad Senatum ire jussi inde infecta quidem pace, quoniam de conditionibus agebatur, redierunt ad suos, inducias tamen annuas secum referentes. (h)

§. 3. Sed nec harum apud Samnites sancta fides fuit, adeo postquam Papyrium abiisse Magistratu nunciatum est, arrecti eorum ad bellandum sunt animi. Verum in sequenti anno à Cornelio Arvinā Dictatore & M. Fabio Ambusto magistro equitum valide prostrati & ad agnitionem violatarum à se induciarum adacti Brutulum Papium autorem armorum, Romanis dedere, & cum eo prædam omnem Romanam captivosq; Romam mittere, acres quæ per fœciales ex fœdere repeterentur secundum jus fasq; restituere constituerunt. Cum autem Brutulus morte voluntaria ignominie se ac supplicio subtraxisset, placuit cum cadavere bona quoq; ejus dedi. Nihil tamen earum rerum præter captivos, ac si quæ cognita ex præda sunt acceptum est, ceterarum rerum irrita fuit deditio. (i)

§. 4. Cum ergo Romani T. Veturiam Calvinum & Sp. Posthumium Coss. adversus Samnites misissent, dux horum C. Pontius castra circa Caudium occultè locat & Romanos stratagemate militari in furculas Caudinas allicit, ubi postquam exercitus Romanus pervenisset, sero cognoverunt, nulli patere exitum cum ubiq; vel inaccessæ rupes vel arma Samnitium obstarent. Itaq; cum in summis angustiis essent constituti, victi necessitate Legatos mittunt ad Samnitum Imperatorem quo primum pacem æquam peterent, si pacem non impetrarent, uti provocarent ad pugnam. Tum Pontius debellatum esse respondit, & quoniam ne victi quidem ac capti fortunam fateri scirent, incrimis cum singulis vestimentis sub jugum se esse missurum illis edixit: alias conditiones pacis æquas victis & victoribus fore, si agro Samnitium decederetur, colonie abducerentur, suis deinde legibus Romanum ac Samnitum æquo fœdere victurum. (l)

§. 5. Sum-

(f) Liv. l. 8. c. 22. 23. (g) Liv. d. l. 8. cap. 30. (h) Liv. d. l. 8. c. 36 & 37.  
(i) Liv. d. c. 37. (l) Liv. lib. 9. c. 1. 2. 3. 4.



§. 5. Summa aderat necessitas. Erat enim impossibile ut aliter Romanis has angustias evadere potuissent. Igitur sponserunt Consules, Legati, Quæstores, Tribuni militum, obsides etiam 600. equites fuere dati, qui capite luerent, si pacto non staretur. At cum Romam venissent deq; hac pace in Senatu fuisset consultum, spasi ipse Posthumius ut cum reliquis sponsoribus Samnitibus dedureretur, ipsum enim populum ex hac sponsione nequicquam obligari; quod consilium populo gratum acceptumque fuit tribunis frustra renitentibus. Quinimò cum deditio à fœciali Samnitibus fieret Posthumius femur fœcialis genu, quanta maxime poterat vi, percutit & clam voce ait: se Samnitum civem esse, illum Legatum, fœcialem à se contra jus Gentium violatum, eò justius bellum gesturos. Sed hæc deditio à Pontio Samnite non fuit accepta. (m) Igitur exarsit iterum bellum, & ultionem flagitans miles Romanus Papyrio duce, non prius à cædibus abstinuit, quam jugum & hostibus & duci capto reposuerint. (n)

§. 6. Virtus militaris populo Romano nomen, urbi aeternam gloriam peperit, orbem terrarum parere huic imperio coëgit. Tribuit hoc encomiū Cicerō (o) prudentiæ bellicæ, quod arripiens Albericus Gentilis, dum sibi justitiam armorum Romanorum defendere proposuisset, statim ab initio (p) ex hoc dicto objectionem sibi format, & sub persona adversarii mox (q) contradicit: Non ita est M. Tulli, sed fraus, perfidia, avaritia, audacia, crudelitas illud Romanis imperium pepererunt. Parum commodè, ut arbitror, utq; vel ex hoc statim initio non inepta possit oriri suspicio, Gentilem in priori libro studio conquisivisse argumenta non valde ad rem pertinentia, quibus Romanorum arma oppugnaret, ut in altero, qui defensoris partes sustinet, eò facilius ac majori cum specie justitiam armorum Romanorum posset ostendere. Nam si Ciceronis intentionem paulo curatius perpendamus, nihil eo loco aliud agit, quam ut scientiam militarem præ scientia juris civilis extollat. Non ergo sub nomine virtutis militaris talem aliquam intelligit, quæ moralis in scholis nostris dicitur, quæq; sub justitiæ nomine tegi possit, sed intellectualem saltem & quam paulò ante gloriam rei militaris appellaverat.

§. 7. Quod si vel maxime ipsam fortitudinem intellexisset, tamen ne sic quidem, quod pro justitia armorum Romanorum faceret, quicquam fuisset.

(m) Liv. lib. 9. c. 5. usq; ad 11. (n) Florus lib. 1. c. 17. Conf. Freinshem. Suppl. Liv. c. 9. & 17. (o) Pro Muræna cap. 10. (p) de armis Rom. lib. 1. c. 1. (q) d. c. 1. in fin.



fuiſſet adductum. Poterit enim fortitudo bellica absq̃ iustitia ſubſistere, ipse ille oris tam verecundi Pompejus ausus est dicere; *Armatuſ leges ut cogitem?* ut nemo mirari possit, quod Marius negaverat, *pre armorum strepitu leges à se posse exaudiri*, aut Cæsari vox ista exciderit, *non idem esse tempus armorum ac legum.* (q) Non facile hanc virtutem Romanis quis negaverit, cum penè unica Romanæ magnitudinis causa armorum studium fuerit & quod omnia Reip. instituta non ad civilis vitæ tranquillitatem sed gloriam & imperii amplificationem sint introducta. Inde bellum ex bello excitabant & ut in hostes militem haberent fortem & periculorum contemptorem exercitia armorum & virtuti militari præmia instituebant. Sed ut affvescerent cives iustitiæ, temperantiæ, modestiæ, aliisque virtutibus civilibus, quibus in pace concordēs & tranquillī viverent nullis aut paucis provisum erat legibus. Unde Tacitus [r] XII. Tabulas finem æqui juris fuisse & secutas leges adipiscendi illicitos honores aut pellendi claros viros aliaque ob prava pervim latas esse verè disseruit. (s)

§. 8. Tantum ergo abest ut ex præfato Ciceronis loco iustitia armorum Romanorum eluceat, ut fere exinde contrarium possit deduci. Magis apta igitur debuisset conquirere testimonia Gentilis. *Valerius Maximus*, postquam iustitiæ sancta penetralia laudasset, (t) quod in illis semper æqui ac probi facti respectus religiosa cum observatione versetur & ibi studium verecundiæ sit, & cupiditas rationi cedat. nihilq̃ utile quod parum honestum sit, ducatur, subjungit: *hujus virtutis præcipuum & certissimum inter omnes gentes civitatem Romanam esse exemplum*, & mox: (u) *fidem publicam semper in civitate Romanâ viguisse, idq̃ ab omnibus gentibus fuisse comprobatum.* Grave testimonium, si non ab homine Romano fuisset profectum, sique gentium omnium consensu, ad quos provocat, fuisset corroboratum, nec adeo specie iustitiæ propugnatur utilitas & prætextu honestatis militetur avaritiæ.

§. 9. Non adhibebo suffragia inimicorum neque Pontii Samnitis querelam, Romanos incusantis, *quod semper fraudi speciem aliquam juris imponant.* (x) Eundem audiamus Ciceronem à Gentili pro iustitia Romanâ

---

(q) Vid. Grot. de J. B. proleg. n. 3. & ibi in notis. (r) III. Annal. (s) Vid. Forst. ad Tac. lib. 4. p. m. 337. & 349. Dissentit equidem Rupert. ad Florum p. 19. seq. Sed nihil mutò. Conf. Grot. de J. B. III. 21. 24. (t) Lib. 6. c. 5. (u) cap. seq. 6. (x) Liv. Dec. I. lib. 0. c. 11.



manà modo adductum, de primo Romæ conditore differentem. (y) *Species utilitatis*, inquit, *animum impulit Romuli*, cui cum visum esset *utilius, solum se quam cum altero regnare, fratrem interemit. Omisit hic & pietatē & humanitatē. Et tamen muri causam opposuit specie honestatis neq; probabilem neque satis idoneam.* Testatur hanc injustitiam turpe Romanorum (z) de agro Aricinorum & Ardeatum iudicium, testatur iniquissima lex, quā ad rogationem P. Clodii Cyprus Ptolomæo Ægypti Regi fuit ablata, & populi Romani provincia esse iusta, a) testantur alia; b) Ipse Valerius Maximus, quicquid dissimulet, injustitiam tamen ac perfidiam Romanorum planè dissimulare non sustinet. Nam cum narrasset c) Cn. Domitium magni aliàs animi virum per nimiam gloriæ cupiditatem ad perfidiam d) fuisse abreptum, ut Regem Aruernorum per colloquii simulationem accersitum hospitioque acceptum vinxerit ac Romam deportandum curaverit, addit: *Hujus factum Senatum neq; probare potuisse, neq; rescindere voluisse.* An ob justitiæ amorem? Imo non, sed ex utilitate, ne videlicet remissus in patriam Rex bellum renovaret; Igitur eum Albam custodiæ causa relegasse.

§. 10. Jam avaritiam quod attinet, hanc Romanis Petronius Arbitrator e) ipse Romanus Bellorum causam perspicue objicit.

*Si quis sinus abditus ultra  
Si qua foret tellus, qua fulvum mitteret aurum  
Hostis erat: fatisq; in tristia bella paratis  
Quærebantur opes.*

Aurum & opes Tacitus præcipuas bellorum causas vocat f) & idem Britanniam aurum & argentum ferre dixit g) *pretium* victoriæ, ut adeo nihil apertius sit, quam quod in omnium ore profertur, si justitiam curassent Romani etiam ubi illa utilitate carebat, lupercal mansuram illam, quæ tantopere celebrata est, æternam urbem.

§. 11. Ne vero id gratis dixisse videamur, age consideremus paulo distinctius sponsonem Caudinam & bella cum Samnitibus gesta, quæ eandem præcesserunt. Primum bellum contra Samnites pro Campanis susceperunt Romani. h) Excusare id aliquatenus intendit Florus, i)

B

Pre-

(y) III. Offic. c. 10. (z) Vid. Liv. lib. 3. c. 71. a) Plut. in Cat. min.  
b) Vid. Forstn. ad Tac. lib. 3. p. m. 256. seqq. c) lib. 9. c. 6. §. 3.  
d) Conf. Grot. III. 24. 3. & omnino III. 22. 3. e) Satyr. f) 4.  
Hist. 74. g) Agric. 12. h) Vid. §. 1. i) lib. 2. c. 16.



*Precibus deinde, inquit, Campania motus, non pro se, sed, quod est speciosius, pro sociis Samnites invadit [ populus Romanus. ] Erat fœdus cum utrisq; percussum. Sed hoc Campani sanctius & prius omnium suorum deditio fecerant.* In his verbis, ni fallor, duæ latent rationes pro justitia armorum Romanorum, 1. quod gesserint bellum non pro se sed pro sociis, & quidem 2. talibus qui propter deditioem Samnitibus erant anteponendi.

§. 12. Priorem rationem quod concernit, eam parum stringere vel ipse videtur agnovisse Florus, atque ob hanc causam illi alteram subjunxisse, ut simul per posteriorem adversus responsum, quæ priorem ferit, daret instantiam. Notanter vero dixit *speciosius* fuisse, quod pro sociis suis, non pro se ipsis arma susceperint Samnites, sub qua voce ambigua nescias an causam justificam genuinam innuere Florus voluerit, an prætextum saltem. Sane *species* frequenter in hac materia prætextum denotat. Exemplum dedimus jam supra l) ex Livio & Cicerone. Simile est quod Plutarchus in Antonio memorat m) *Scriptit in Philippinis Cicero, ut bello Trojano Helenam ita Antonium causam civili dedisse, sed aperte mentitur, nam Antonius & Cassius Casari jam dudum occasionem quaerenti, colorem & prætextum præbuerunt bellum faciendi speciosum.* Idem Livius alibi, n) ex persona hostis: *Specioso titulo uti vos Romani Græciarum civitatum servandarum causa video, sed facta vestra orationi non conveniunt.* Nec apud Justinum infrequens est hic significatus, o) alia exempla ut jam taceam.

§. 13. Et videntur sanè hæ artes inter cæteras ad augendam potentiam suam fuisse à Romanis usitatae. Socios prompte recipiebant, eos, quorum situs ad res novas & motus oportunus erat & quosdam non tam ob supplicum preces quam quod occasio offerebatur laceßendi & mordendi alios, in quos causæ belli quærebantur, quorumq; nullæ alias in se injuriæ extarent. Postquam armis sociorum suam auxere potentiam, tandem ipsos socios, qui tum demum serò nimis servitutem in quam lapsi erant, animadvertabant, non ut fœdere junctos, sed ut dedititios tractare cœperunt. p) Non potest hoc dissimulare Cicero: *Noster populus ait, sociis defendendis, terrarum jam omnium potitus est.* Ipse Florus noster alibi q) Romanos narrat, sub specie quidem socios juvandi, re autem solitan-

---

l) §. 9. m) c. 9. n) lib. 35. c. 16. o) Justin. lib. 4. c. 3. & lib. 27. c. 3.  
p) vid. Forstn. ad Tac. lib. priores p. m. 257. q) lib. 2. c. 2.



gitante prædâ primum bellum Punicum suscepisse. Et in ipso hoc bello Samnitico, quod in verbis supra r) allatis videtur defendere, memorabilia sunt quæ mox recenset. Postquam enim Campaniæ summam fertilitatem descripsisset, statim subjungit s) *Pro hac urbe, iis Regionibus Populus Romanus Samnites invasit*; innuens non tam societatem Campanorum quam fertilitatem agri Campani Romanos ad bellum traxisse.

§. 14. Deinde ne quidem prætextus iste speciem honestatis præ se ferebat. Eslo. Campani erant Socii Romanorum. Erant utique & Samnites Socii, & quidem antiquiores. Unde rectissime Livius sub persona Senatus Romani t) *Auxilio vos, Campani, dignos censet Senatus. Sed ita vobiscum amicitiam institui par est, ne quæ vetustior amicitia ac societas violetur. Samnites nobiscum fœdere juncti sunt. Itaque arma Deo prius quam homines violatura, adversus Samnites vobis negamus.*

§. 15. Sentiens hanc objectionem Florus, alteram rationem subjungit, *fœdus Campanorum propter deditionem sanctius ac ita quasi prius factum fuisse.* Idem argumentum usurpat Livius: u) *Tum jam fides agi visa deditos non prodi, nec facturum æqua Samnitium populum censebant, si agrum urbemq; per deditionem factam populi Romani oppugnarent.* Majorem utique hoc argumentum præ priori habet speciem. Nam & de aliis populis, Nepesinis nimirum, Livius x) *prodit, illis deditionis quàm societatis fidem sanctiorem fuisse.*

§. 16. Sed ut ad hoc quoq; respondeam, possem equidem ex Nepesinorum facto adversus Romanos disputare. Imploraverant Nepesini opem Romanorum contra Hetruscos, sed auxiliis Romanis diutius emanentibus coacti erant se Hetruscis dedere, quod cum Romani, utpote quorum valde intererat, municipium Nepesinorum, tanquam claustrum Hetruriæ oppositum, in sua habere potestate, ægre tulissent & ad Principes Nepesinorum misissent, ut se ab Hetruscis secernerent, *fidemq; quam implorassent à Romanis, ipsi præstarent, his verò deditionem societatis fide præferentibus, vi bellicâ oppidum cepissent, deditionis autores securi percussi, & reliquo populo inermi vix parcitum fuit.* y) *Quid ergo hoc novæ rei est Romani? Non licebit Nepesinis in summis angustiis constitutis dum vestra auxilia non adsunt, se hosti dedere, saltem quod societatem vestram implorassent, non licebit, inquam, istis deditionem*

B 2

sanctio-

r) §. 11. s) d. l. 1. c. 16. t) l. 7. c. 31. u) d. c. 31. x) lib. 6. c. 10.  
y) Liv. d. l. 6. c. 9. & 10.



sanctiorem æstimare societati vestra, & vobis tamen licebit societatem antiquiorem cum Samnitibus postponere deditiõni novæ Campanorum, quæ in liberrimo vestro arbitrio erat, an eandem acceptare velitis an minus? & ita quidem licebit postponere ut adversus socios antiquos bellum moveatis? Quæ est impudentia, si hæc non est?

§. 17. Verum ne oratoriè magis quàm ex vero adversus istud Flori argumentum disputare videar, latet in phrasi ista: *sanctius esse fœdus deditiõne munitum societate & fœdere simplici etiam antiquiore.* homonymia non exigua. Vel enim uterque fœderatorum cum aliis bellum gerit, vel id gerunt inter se. Priori casu utriusque si auxilia in fœdere fuere promissa; & commodè præstari possint, præstanda erunt: quod si uni tantum succurrere valeam, aut præsentia mea, quæ individua est, postuletur, tum regulariter antiquior erit præterendus, nisi posterius fœdus ultra promissionem aliquid habeat, quod quasi dominii translationem in se contineat, z) sive ex parte opem poscentis, (ut si ante decennium cum Samnitibus fœdus ictum fuerit, ante biennium Campani in deditiõnem accepti sint, & horum uterque populus cum hostibus suis luctetur) sive ex parte opem præstantis, (ut si Campani ante cum Sidicinis fœdus æquale fecissent, postea Romanis se cum diminutione imperii subjecissent, præferendi forent Romani, quanquam posteriores, prioribus Sidicinis,) Arctius enim vinculum magis ligat quam remissum, & jus in re præferendum juri ad rem. Ita ex duobus hypothecariis debitor antiquiori solvet in concursu verò chirographarii & hypothecarii, hypothecarius quamvis tempore posterior anteposendus est chirographario priori. Aut si hoc simile non placeat, quoniam ex jure rerum est desumptum, dicam accommodatius: Obligatio personæ fortior est erga superiorem quam erga parem, & superior etiam ad sibi subiectum defendendum magis est obstrictus, quàm ad parem. Ita Vasallus jure præfert Principem quamvis noviorem antiquiori feudi domino, ita magis obligatus sum ad alendum filium quamvis adhuc sanguinolentum præ fratre antiquiore. Hæc tenus igitur sanctius est fœdus deditiõne munitum fœderi antiquiori æquali.

§. 18. At quod alterum casum spectat, &, si socius æqualis antiquior cum posteriore, sed mihi dedito bellum gerat, iterum duæ discernendæ veniunt species. Aut enim ante bellum inter eos ortum deditiõ

z) Conf. Grot. l. 2, c. 15. §. 13. sect. ult.



tio mihi erat facta, aut flagrante jam bello. In priori membro eadem mihi erunt observanda, quæ in meo subdito, quem utique rectè, modo causa non subsit injusta adversus socium antiquum defendo, & hætenus rursus deditio sanctior erit fœderi æquali. Sed horum neuter casus quadrat ad deditioem Campanorum.

§. 19. Venio itaque ad membrum posterius, & si is, qui à socio meo impetitur, durante bello se mihi dedat, ut in causa Campanorum contigit: quid tunc juris? Videtur prima fronte dici debere: ad causæ bellicæ justitiæ hæc unice esse respiciendum: ita ut is qui causam justam habeat sine respectu vel ad prioritatem vel ad vinculum fortius defendendus sit contra eum qui habet injustam. Quod si fœderati inter se committantur causis utrimque injustis, utraque parte fore abstinentiam. Ita in simili Grotius a) distinctionem istam adhibet circa eam quæstionem, si duo socii æquales erga se invicem arma moveant. Quod si recipiendum est, uti videtur recipiendum esse, aperta erit justitia armorum Romanorum, utpote qui auxilia præstabant Campanis. Hos enim bello aggressi erant Samnites, quod Sidicinos antea adjuvissent. Sidicinis verò *injusta arma* intulerant Samnites Livio teste b). Non minus itaq; injustum erat bellum Samnitum adversus Sidicinorum defensores Campanos, præprimis cum Samnites non tam dolerent acceptam à Samnitibus injuriam, sed gauderent potius oblatam sibi esse occasionem Campanos supprimendi, uti Campanorum Legatus ap. Liv. c) queritur.

§. 20. Verum si dicere licet, quod res est, neq; Romanos justitia movit ad defendendos Campanos, neq; ista assertio Grotii, quod duorum socius illi qui justum prælium adversus alterum gerit succurrere ope sua possit, indistinctè videtur esse transmittenda, nec denique, si hoc vel maximè concederemus, à defensione illius qui jam socius est, ad defensionem socii futuri consequentiam admittimus.

§. 21. Nam etsi demus, Samnitum bellum erga Sidicinos & Campanos injustum fuisse, quamvis in ea re nec Legati Campani nec Livii testimonium sit omni exceptione majus, justitia tamen non fuit, quæ Romanis auxilia persuasit. Ante deditioem quippe hæc Samnitibus expressè negabant. Deditioe vero demum factâ, fides agi visa. d) Jam quis diceret per deditioem causam Samnitum justam fuisse effectam, ante eam justam non fuisse? Accedit, quod, cum postea Samnites

a) d. §. 13. sect. 1. b) lib. 7. c. 29. c) d. l. 7. c. 30. d) Liv. d. l. c. 31.



societatem cum Romanis renovarent, à Romanis disertè promitteretur, e) quoad Sidicinos [ quorum tamen ex mente Livii æque justa causa erat ac Campanorum ] non intercedi, quo minus Samniti populo pacis bellicque liberum arbitrium sit.

§. 22. Porro Grotii assertionem quod concernit, quamvis is, ut diximus asserat f) fœderatorum illum, qui justam habet belli causam, præferendum esse, etsi cum alio fœderato ei res sit, tamen exemplum, quod ex Demosthenis oratione Grotius adducit, sententiam hanc non persuadet. Nam ante oculos versatur monitum, quod alio loco g) dat Grotius. *Non omnia probanda esse, quæ à quavis præclaræ fame autoribus dicuntur. Sæpè enim temporibus, sæpè affectibus serviunt, & aptant τῷ πένθει καὶ φόβῳ. Quare dandam esse operam uti in his rebus defecato utamur iudicio, nec quæ excusari magis quam laudari possunt, temere in exemplum rapiamus, præprimis cum hic perniciosè errari soleat.* Unde & ipse Grotius decisioni huic suæ diffidens statim limitationem subjungit; Hoc ita verum esse, nisi convenerit hoc quoque, ne adversus eum socium qui alterum injuste oppugnat auxilia mittere liceat, quæ limitatio tamen nescio annon totam priorem Grotii assertionem vel certe plerosque ejusdem casus destruat, cum sane ista conditio, quam in limitatione ponit Grotius, ferè in omni fœdere tacitè subintelligatur.

§. 23. Quod si hanc controversiam ex merito tractare vellemus, partitiones duæ potissimum hic forent instituendæ & secundum earum singula membra decisiones subjungendæ. Initio quidem ratione sociorum inter antiquiorem & noviore, tum ratione fœderis inter fœdera pacis & societatis maximè bellicæ, h) denique inter fœdus bellicum quod defensionis gratia saltem pangitur, & quod etiam offensionis. Sed cum ad casum nostrum illud saltem scire conducatur, an liceat posteriori socio contra antiquiorem suppetias ferre, reliqua nunc quidem omitemus.

§. 24. Puto autem non licere, si fœdus societatis cum antiquiore sit initum, nam de fœdere pacis etiam hic non disquiremus, cum Livius præcipuè ostendat, *Samnites Romanorum societatem petiisse, & effecisse, legatis eorum comiter ab Senatu fuisse responsum fœdere in societatem esse receptos.* i) Est quippe societas unio quædam ad certum finem, hæc verò per dissidium bellicum, si non rumpitur certè turbatur quam maxime,

e) Liv. lib. 8. c. 2. f) d. l. 2. c. 15. §. 13. g) l. 1. c. 3. §. 5. h) conf. de hac distinct. ipsum Grot. d. c. 15. §. 6. i) Liv. l. 7. c. 19.



me, idq̄ multò magis obtinebit si fœdus societatis bellicæ causa fuerit initum. Unde patet in ejusmodi fœdere non posse non tacitam hanc latere conditionem, adversus hujusmodi fœderatum non licere socio in causa aliàs justa auxilia mittere. Nec aliter intelligo dictum illud, quod ex Leuctrica Aristidis quinta, Grotius affert. k) *Siquidem in alios auxilium poscerent, facile esse negotium. Sin sociorum alter in alterum, nolte se misceri*, etsi Grotius ad illum casum id applicet; si fœderati inter se committantur armis utrinque injustis, cujus tamen rationem non penetro. Quomodo enim si hoc foret, promitti potuisset honestè auxilium in alios?

§. 25. Non infringit thesin meam, quod naturaliter obligemur ad arcendam injuriam ab aliis. Graviter loquitur Tullius l) *Qui non defendit, nec obsistit, si potest, injuria, tam est in vitio, quàm si parentes aut patriam aut socios deserat*. Nam ut mittam ea quæ Grotius ibidem annotat, & alia quæ circa hanc objectionem moveri possent, spectat obligatio ista ad officia ut vocantur humanitatis, quæ cum veniant ex jure imperfecto, semper cedere debent obligationibus istis, quæ jus perfectum concomitantur. Sic non teneor, v.g. eleemosynas dare de pecunia, quam liberi mei ad alimenta, aut alii ex credito sibi vendicant.

§. 26. Gravius nos ferire videtur alia Ciceronis sententia m). *Non concedi posse, ut amicis nostris accusantibus non etiam alienissimos defendamus, & ut adversariis amicorum nostrorum de jure consulentibus non respondeamus*. Sed & hic taceo monitum supra n) adductum, taceo ipsius Sulpicii querelam, qui gravissime & acerbissime ferre dixit, Ciceronem familiaritatis necessitudinisq̄ oblitum causam L. Muranæ contra se defendere, taceo ingens discrimen quod est inter responsionem de jure vel defensionem accusati, & auxilium bellicum, taceo patrocini-um esse munus publicum, & ad hoc aliquem à superiori cogi posse, taceo alia plura; Id saltim considerandum do, aliud esse amicitiam simplicem, aliud societatem. Demus, hæc licere amicis. An propterea etiam socio salva societate licebit adversus socium suum de jure respondere aut patrocini-um adversus ipsum suscipere, an licebit causarum patrono, qui mea negotia agere promisit, opem suam aliis adversus me locare? Non puto. §. 27.

k) l. 2, c. 15. §. 13. l) ap. Grot., lib. 2, c. 25, §. 7. m) pro Murana c. 3. & 4. n) §. 22.



§. 27. Denique etsi confectum sit, quod haftenus impugnavi-  
mus, licere socio posteriori contra priorem ferre suppetias, non videtur  
tamen concedendum, alium in societatem recipere saltem eum in fi-  
nem ut contra priorem socium arma moveantur. Quis enim non vi-  
det axioma istud, quod socio, non vero extraneo contra socium adhære-  
re possimus, fraudi quotidianæ subjacere, ac per assumptionem illius ex-  
tranei in societatem semper eludi posse? Quod si hic iterum in deditio-  
ne velis refugium quærere, nec hoc quicquam proderit. Quin potius  
invertimus. Si non licet simplicem societatem inire quæ sit in præjudi-  
cium antiquioris socii, multo minus licebit arctiori vinculo in ejusdem  
præjudicium cum alio nos unire. Nihil enim, hinc diversum, quam frau-  
dis gradus, qui hinc major erit quam in societate simplici & æquali. Dico:  
*in præjudicium antiquioris socii.* Hoc enim si absit quin societates cum  
aliis populis inire liceat, etiamsi jam cum altero societatis nexus sit, quis  
negaret. Haftenus itaque non malè differebat Legatus Samnitum o)  
*Neg, hercule, quod Samnites priores amici sociiq; nobis facti sunt, ad id va-  
lere arbitror, ne nos in amicitiam recipiamur; sed ut vetustate & gradu  
honoris nos præstent; neq; enim fœdere Samnitum, ne qua nova jungere-  
tis fœdera, cautum est.* Sed hoc argumentum positum istis circumstantiis  
ad ejus intentionem parum erat conveniens. Unde rectissime tum qui-  
dem Senatus Romanus Legati preces per responsionem supra p) recen-  
sitam elidebat.

§. 28. Puto jam patere Romanos fidem Samnitibus in primo i-  
sto bello pro Campanis suscepto non servasse, & Flori colorem, quod  
Campanorum fœdus propter deditioem sanctius & prius factum fue-  
rit fœdere Samnitum, Romanos hac parte non posse excusare, quod pau-  
lo prolixiorem discussionem videbatur mereri, cum defensione armo-  
rum Romanorum Albericus Gentilis ferè in hoc negotio nullis aliis ar-  
gumentis utatur, quam ut rationes Flori repetat, bellum à Romanis gestum  
esse pro sociis, & sociis quidem talibus, qui se populo Romano dedidif-  
sent, quibus nihil addit quam: Samnitum bellum adversus Sidicinos  
fuisse injustum. q) Ergo cum Flori ista duo argumenta haftenus refu-  
taverimus & simul dubium removerimus quod de injustitia belli Sa-  
mnitici contra Sidicinos moveri potuisset r) eaque occasione expli-  
cæ-

o) ap. Liv. l. 7. c. 30. p) §. 14. q) vid. Alber. Gentil. de armis Rom.  
lib. 2. c. 7. p. m. 177. 178. r) vid. §. 19. seq.



cuerimus locum Ciceronis ex oratione pro Muræna desumptum s) ad quem ipse Gentilis etiam inter alia provocat, nihil restare videtur, quod in hac quæstione nos amplius detineat.

§. 29. Utitur equidem Albericus in libro primo istius operis duobus potissimum argumentis contra Romanos. Non licere in deditio- nem recipere litigiosam rem & sociis ferè acq̃uisitam, quemadmodum secundum opinionem Trebatii non liceat, feram vulneratam vulneranti intercipere; & adeo huc redire disceptationem: Utrum Campanos vul- neratos à Samnitibus potenter & jamjam capiendos sic justè Romani eri- puerint? t) Deinde: quare Romani etiam Sidicinos itidem se iis de- dentes non receperint & contra eosdem Samnites non defenderint? u) Ad quas rationes postea prolixè in libro secundo w) respondet. Ad primam: Trebatii opinionem non esse receptam moribus, ac insuper multa contra eandem disputari posse & disputatum fuisse, neque certum esse, Campanos à Samnitibus fuisse capiendos, cum, si Romani eorum deditio- nem non acceptassent, se facile potuissent Pœnis, Hetruscis, vici- nis Græcis dedere & ita capturam Samnitum evadere. Ad alteram ve- rò x). Hic de jure esse quæstionem non de facto. Potuisse enim Romanos de jure etiam Sidicinis ferre auxilia, sed noluisse propter dedi- tionem feram &c. Quæ singula, si seorsim perlustrare velimus, se novus hic aperiret dicendi campus, cum plurima adsint quæ adversus has Gen- tilis regressiones notari possint. Sed cum iis argumentis ego quidem adversus Romanos usus non fuerim, & præterea satis inconcinnum mihi videatur à captura ferarum bestiarum ad justitiam belli alicujus vel ejus injustitiã argumentari velle, de deditio- ne autem Sidicinorum mox quidè differendi se oblatura sit occasio, prætermis- sis jam illis ad alia pergemus.

§. 30. Si modo illud adhuc & obiter quasi tetigerimus, mirari nos aliquatenus, quomodo acciderit, ut in tam aperta causa injustitiæ Ro- mani defensorem quidem in Gentili invenerint, neminem verò, quan- tum quidem nobis liquet, qui eos impugnaverit ex animi sententia, quamvis sæpissimè sponso hæc Caudina & bellum Samniticum à Scri- ptoribus adduci soleat. Video equidem à Ruperto y) provocari ad

C

Sigo-

s) §. 26. t) vid. Gentil. d. l. i. c. 7. p. 37. & 40. u) d. l. p. 40. w) c. 7. p. m. 172. usq; ad 176. x) d. l. pag. 177. y) in not. ad Flor. l. 16. p. m. 239.



Sigonium, quod ille foedus hoc Campanorum cum Romanis iniquissi-  
 mum appellet. Sed si ipsum Sigonium evolveris, nihil aliud quam hæc  
 verba deprehendere licebit: z] *Iniquissima autem foederis conditione  
 nisi sunt dediticii, ut non in foedere, sed in ditione esse dicerentur*, ubi si-  
 mul contextus ostendit, Sigonium vocem *iniqui* non in significato com-  
 muni usurpare, pro eo quod inhonestum est vel turpe, sed in specialiori  
 acceptione pro eo quod inæquale est, ut sensus sit, foedus in quo ex una  
 parte fit deditio, esse maxime inæquale. a) Ita ex adverso à Scriptori-  
 bus Latinis *æquum* foedus dici consuevit non illud quod honestum est,  
 sed quod æquale, ut vel ex isto Livii b] apparet. *Teates & Apuli im-  
 petraverunt ut foedus daretur, neq; ut æquo tamen foedere, sed ut in ditio-  
 ne populi Romani essent.* Neq; hic significatus etiam Jctis est inco-  
 gnitus. c)

§. 31. Quamvis autem ut hætenus demonstravimus Romano-  
 rum causa contra Samnites justitia destitueretur, evenit tamen, ut sapi-  
 us aliàs, ut victoria ab ipsorum parte esset & Samnites cogentur pacis  
 & societatis renovationem ab ipsis petere, in quo foedere illud notabi-  
 le deprehenditur, quod Samnites expressè istum articulum paci inseri cu-  
 raverint: *Ut relinqueretur ipsis belli jus adversus Sidicinos.* d] Cui u-  
 sui? An non hoc jure jam ante gaudebant? Ita quidem est. Nam jam  
 ex loco Liviano supra e) allegato patet, Samnitum primum foedus  
 cum Romanis fuisse æquale neq; cum deminutione imperii eorum fa-  
 ctum esse, idq; Senatus Romanus ante deditioem Campanorum agno-  
 verat ipse, f) unde etiam in renovatione ista foederis Samnitici non  
 respondit, se concedere Samnitibus jus belli adversus Sidicinos, verum  
 istud saltem g) *Quod ad Sidicinos attinet; nihil intercedi quo minus  
 Samniti populo pacis bellig. liberum arbitrium sit*, quo tacitè innuebant  
 Romani illum articulum ex superfluis esse, cum de illo hætenus inter  
 eos non fuerit controversia. Sed his tamen non obstantibus pruden-  
 tissimè fecerunt Samnites, quod hanc clausulam paci inseri curassent, cum  
 justè timerent, si id non fieret & ipsi pace cum Romanis factâ Sidicinos  
 de

z) *de antiquo Jure Italia lib. 1. cap. 1. f. 139.* a) *adde Grot. l. 2. c. 15. §. 7.*  
 b) *Lib. 9. c. 20.* c) *vid. l. 7. §. 1. de Captivis.* d) *vid. su-  
 pra §. 1.* e) *§. 24.* f) *vid. Liv. l. 7. c. 31.* g) *Liv. lib. 8.  
 cap. 2.*



de novo aggredierentur, facile evenire posse (& evenit etiam) ut Sidicini Campanos imitati se Romanis dederent, & ita Romani novum prætextum rumpendi fœderis quærerent. Hinc illud axioma prudentiæ civilis elicio. Clausulas abundantes & alias superfluas in contractibus suo usu non destitui, præprimis si negotium sit cum homine potente aut Principe, qui neminem supra se agnoscat pactorum suorum interpretem.

§. 32. Etsi enim jam ab antiquis seculis illud vitium apud Principes, (at quid dico apud Principes, apud plerosq; profecto homines) non fuerit infrequens, ut utilitatem honestati præponerent, non tamen facile aliquis adeo perfrectæ frontis esse voluit, ut apertè profiteretur, se vinculo isto humani generis, quod pacta servare jubet, ligari nolle, sed potius colores undique fuerunt conquiriti & adhuc hodiè quæruntur, quibus pactorum verbis sententia ac mens affingatur, prout utilitas cujuslibet contrahentium desiderat. Quare jam suo ævo homo excelsi ingenii Papinianus promissiones & stipulationes captiosas appellavit, h) non quod ipsæ sint callidæ & argutæ, sed quod facile captioni paciscentium & damno propter litium ambages sint obnoxia. i) Observarunt hoc axioma prudentissime Electores S. Romani Imperii in præscriptione Capitulationis Imperatoriæ, quod conferenti capitulationes noviores cum antiquioribus ad oculum patebit.

§. 33. Ergò, ut in viam redeamus, simul hinc ratio patet genuina, cur Romani deditioem Sidicinorum acceptare noluerint, acceptaverint tamen Campanorum deditioem. Affert equidem Livius k) id ideo factum esse, quod *sera nimis ultimæq; tandem necessitate expressa* hæc deditio fuerit. Sed minus ex vero, cum Campani certè æquali, si non majori necessitate coacti demum auxilia Romanorum imploraverint l) nisi fortè deditioem *seram* ita explicare velis, quod demum post petitionem Samnitum ac impetrationem, ut sibi ab Romanis belli jus liberum adversus Sidicinos foret, facta fuerit, quam expositionem suppeditat Albericus Gentilis. m) Nimirum timebant Romani odium commune sociatorum & aliorum populorum si contra expressa verba

C 2

pacti

h) §. 7. *Inst. de fideicomm. hered.* i) *Vinn. ad dict. §. 7.* k) *d. l. 8. c. 2.* l) *Liv. l. 7. c. 29. inf. & cap. seqq.* m) *d. tr. de arm. Rom. lib. 2. c. 7. p. 177.*



pacti etiam Sidicinorum defensionem suscepissent, neque ullam speciem invenire poterant fraudem istam palliandi, quæ si modo adfuisset, certus sum, æque speciose & æque injustè Sidicinos in societatem eos fuisse accepturos, ac Campanos acceperant, unde etiam hoc argumento, quod Sidicinorum deditio fuit rejecta, supra n) in deducenda iniquitate fœderis cum Campanis uti nolui, quamvis eo & Gentilis utatur, & post hunc id repetat doctissimus Gallorum Jctus Arodius. o)

§. 34. Probabilior est hæc responsio, quam impudens illa & contradictoria Alberici Gentilis, potuisse Romanos de jure ferre auxilia Sidicinis sed noluisse, idè propter seram Sidicinorum deditioem. p] Implicatenim, nisi egregie fallor: nolle aliquem bello defendere propter promissum alteri factum, & posse ejus defensionem de jure suscipere. Igitur non immeritò Arodius q) postquam ad quæstionem: Cur Romani non æquè Sidicinorum deditioem admiserint, ut Campanorum? respondisset: *Aliud esse admittere nolle, aliud non licere,* (quod fortè à Gentili nostro hausit) statim, quasi hæc responsio ipsimet fuisset suspecta, subnectit aliam. *Præterea is non videtur in sua potestate esse, qui in extrema necessitate, se alterius ditioni tuitionique subjicit & si passim reciperetur præclarissima quæque victoria sociis, hostibusve indigne & turpiter eriperetur.* Quamvis & hæc responsio quæstionem non adeò bene solvat, quoniam eadem ratio, ut latè demonstravimus, Romanos etiam à Campanorum deditioem acceptanda debuisset deterrere.

§. 35. Sufficere hæc poterunt de primo bello Samnitico. De justitia secundi r) nunc aliquid dicendum foret. Sed circumstantiæ hinc dubiæ. Accusantur equidem Samnites à Romanis violati fœderis, quod cum Palapolitanis multa hostilia adversus Romanos agrum Campanum, Falerinumque incolentes fecerint, quodque populos Privernatem, Fundanum & Formianum haud ambigè sollicitaverint. At nec Samnitibus tamen sua responsio & querela deest. Non enim saltem Romanorum injurias incusant, sed & ea quæ ipsis obijciuntur non negligenter purgant: haud ullo publico consilio auxiliove juvari Græcos, nec Fundanum Formianumve à se sollicitatos. Ceterum non posse dissimulare, agrè pati civitatem Samnitium, quod Fregellas ex Volscis captas dirutasque ab se, resti-

n) vid. supra §. 29. o) Rerum judic. lib. 3. c. 9. p) vid. §. 29. q) ibid.

r) vid. supra §. 2.



tueret Romanus populus, coloniamque in Samnitium agro imposuerit, quam coloni eorum Fregellas appellant. Eam se contumeliam injuriamque; nisi sibi ab iis, qui fecerint dematur, ipsas omni vi depulsuros esse &c. s) Neque aliter has responsiones Romanus legatus diluit, quam quod Samnites ad disceptandum coram communibus sociis & amicis vocaret. t) Ergo cum de facto non certe constet, otiosa foret de jure controversia. Sufficiet tamen: Romanorum justitiam nec hic abunde esse demonstratam.

§. 36. Istud verò fatemur lubentissimè, à Samnitibus non leviter peccatum, quod durantibus induciis annuis, quas à Romanis supplices postea impetraverant, quietè non vixerint, nec à bellicis, abstinerint actibus. Sunt enim induciæ conventio, per quam bello manente ad tempus bellicis actibus abstinendum est. u) Et agnoscebant sanè hanc suam fidei violationem Samnites ipsi teste Livio x) *minime id quidem mirum esse, si impio bello & contra fœdus* (ita enim appellantur induciæ, quanquam abusive) *suscepto infestioribus merito diis, quam hominibus nihil prosperè agerent. Expiandum id bellum magna mercede luendumque esse.*

§. 37. Expiare autem hanc rupturam instituerunt deditioe Brutuli Papii, quem haud dubiè proximarum induciarum ruptorem appellat Livius y) nec hujus saltem deditioe, sed & bonorum ejus, quin imò & restitutione prædæ Romanæ, captivorumque Romanorum denique eorum omnium, quæ ab ipsis restitui jus fasque esset, quæque per fœciales ex fœdere repetitæ essent. Quam tamen deditioem Romani rejecerunt retentis saltè captivis & iis quæ ex præda cognita sunt. z)

§. 38. Graviter hanc deditiois rejectionem increpat Pontius Samnis. a) *Ne nihil actum, inquit ad milites suos, hæc legatione censeatis, expiatum est quicquid ex fœdere rupto inarum in nos caelestium fuit. Satis scio quibuscumq; diis cordi fuit subigi nos ad necessitatem dedendi res, quæ à nobis ex fœdere, repetitæ fuerant, iis non fuisse cordi, tam superbe ab Romanis fœderis expiationem speretam. Quid enim ultra fieri ad placandos Deos mitigandosq; homines potuit quam quod nos fecimus? Res hostium in præda captas, quæ belli jure nostræ videbantur, remisimus; autores belli,*

C 3

quia

s) Liv. l. 8. c. 22. 23. u) Grot. III 21. §. 1. x) l. 8. c. 39. y) d. l. z) supra §. 3. Liv. d. l. a) Liv. l. 9. c. 1.



quia vivos non potuimus, perfunctos jam fato dedimus: bona eorum, ne quid ex contagione noxæ remaneret penes nos Romam portavimus. Quid ultra tibi Romane, quid fœderi, quid Diis arbitris fœderis debeo? quem tibi tuarum irarum, quem meorum suppliciorum judicem feram? Neminem neq; populum, neq; privatam fugio. Quod si nihil cum potentiore juris humani relinquitur inopi, & ego ad Deo vindicem intolerandæ superbiæ confugiam, & precabor ut ins suas vertant in eos, quibus non suæ redditæ res, non alienæ accumulatæ satis sint, quorum sevitiâ non mors noxiorum, non deditio exanimatorum corporum, non bona sequentia domini deditiorem exsatiat: placari nequeant, nisi hauriendum sanguinem, laniandave viscera nostra præbuerimus. Justum est bellum Samnites, quibus necessarium, & pia arma, quibus nulla, nisi in armis relinquitur spes. Proinde pro certo habete, priora bella adversus Deos magis, quàm homines gessisse: hoc, quod instat, ducibus ipsis diis gesturos.

§. 39. Vides orationem confidentiâ justitiæ nixâ, ab hoste Samnitum Livio pro eorum causa fictam, quâ melior & convenientior à studioso partiû formari non potuisset. Peccaverant sanè Samnites rumpendo inducias, sed hoc delictum satisfactione istâ quam paulo ante b) memoravimus, expiaverant. Instinctu Brutuli ad violandas inducias rapiabantur Samnites, rati habebant etiam per aliquod tempus & sustinebant istum impetum, sed mox justâ pœnitentiâ acti dedebant autorem delicti, reddebant res durante ista induciarum rupturâ ablatas. Ad nihil amplius sane obligari poterant. c) Imo si stricto jure voluissent uti, constitutâ deditiõne mortuorum Brutulo Samnites religione soluti expiatiq; fuissent, cum communiter debitor interitu speciei liberetur, & haud dubie iis qui autorem noxæ dedere instituerunt, nihil imputari queat, si dedendus in itinere decedat. Ne tamen aliquis ipsis objiceret, aliud esse ex contractu debere, aliud ex noxâ, aliud debere privatim, aliud publice, neq; adeo cavillationibus & calumniis daretur occasio, & ne quid ex noxæ contagione remaneret, visum fuit, cadaver cum bonis quæ ad defunctum pertinebant, ritè dedi posse, ut Romani & corpus, in quod pro arbitrio sævirent, & pecuniam in locum ereptæ personæ succedentem, in fisco, cui aliàs secundum ipsorum jus hereditates eorum debebantur qui sibi ipsis mortem consciverant, haberent. d)

§. 40. Ve-

b) §. 37. c) vid. Grot. III. 21. 13. Illustr. Dn. Pufend. l. VIII. c. 7. §. 12.

d) Ærod. Rer. jud. l. 3. c. 10.



§. 40. Verum, inquit, etsi concedatur, Samnites per deditio-  
ruptam induciarum fidem expiisse, erat tamen in arbitrio Romanorum  
finitis induciis bellum iterum suscipere, cum notissimi juris sit, eam esse  
differentiam induciarum à pace iusta, quod finitis induciis nova indicio-  
ne belli haud sit opus. e) At hic regerere licebit; si hæc fuisset Roma-  
norum intentio, eos nec captivos nec prædæ partem à Samnitibus accipe-  
re debuisse, cum hæc corpora à Samnitibus spe pacis acquirendæ fuerint  
oblata, & secundum vulgarem regulam, qui negotium aliquod in uno ap-  
probat, etiam in altero approbare teneatur. Ulterius etsi demus, Romanos  
ex sola deditioe Brutuli & redditione rerum durantibus induciis injustè  
ablatarum, ad pactum pacis non fuisse obstrictos, erant tamen ad eandem  
obligati, quoniam Samnites simul offerebant ac promittebant se restitutu-  
ros, quæ fœciales ex fœdere repetituri essent, cum omne bellum, quò ju-  
stum est, pro remedio extraordinario haberi debeat ad consequendum ea  
quæ quis per viam ordinariam adipisci nequit, prætereaq; ad pacem tan-  
quam ad finem ultimum debeat esse directum, jam vero in confesso est, ex-  
traordinaria remedia non habere locum, ubi suppetunt ordinaria, item ob-  
tento fine cessare actionem. Ergo non sine iudicio Ærodius f) *Veluti ira-  
ris Diis ob spretam deditioem (semper enim præferenda misericordia est)  
clades illa Caudina accidit.*

§. 41. Accedamus itaque ad sponsonem ipsam Caudinam propius.  
Ubi non diffitemur, Pontium Samnitum Imperatorem insigni stratagema-  
te exercitum Romanum in furculas Caudinas [ quem locum distinctius  
describit Livius g) ] allexisse. Eduxerat enim exercitum Samnitum cir-  
ca Caudium castra, ibiq; quam occultissimè locaverat. Inde ad Calatiam  
ubi jam Coss. Romanos Castraq; esse audiverat, milites decem pastorum  
habitu misit, pecoraq; diversos, alium alibi haud procul Romanis pascere  
iussit prædiis; ubi inciderint in prædatores, ut idem omnibus sermo con-  
stet: Legiones Samnitium in Apulia esse: Luceriam omnibus copiis cir-  
cumfedere: nec procul abesse, quin vi capiant. Haud enim erat Pontio  
dubium, quin Lucerinis opem Romanus ferret, bonis ac fidelibus sociis,  
simul ne Apulia omnis ad præsentem terrorem deficeret. Neque carebat  
hoc stratagema successu. Romani quippe, cum jam ante rumor iste de  
industria vulgatus esset, & fidem captivi augerent, eò maximè, quod sermo  
in-

e) Grot. d. c. 21. §. 3. f) d. l. 3. c. 10. in fin. g) lib. 9. c. 2.



pter omnes congrueret, seducti per istum dolum tendunt Luceriam ele-  
ctâ via breviori per Caudinas furculas. Huc autem per angustum locum  
demisso agmine, cum ad alias angustias protinus pergerent, septas dejectu  
arborum, saxorumq; ingentiū obiacentē molem invenerunt, & cum ita fraus  
hostilis apparuisset, citati quidem retro, quâ venerant, pergunt repetere viâ,  
Sed frustra. Nam & hanc clausam suo obice armisq; inveniunt, seroq; ni-  
mis agnoscunt, nullam ex istis angustis evadendi patere viam, sese, ar-  
matus, inermes, fortes, ignavos pariter omnes captos esse, & ne ferrum  
quidem ad bene moriendum oblaturum hostem, verum sedentem esse  
bellum confecturum h).

§. 42. *Perfidum* propterea *Samnitum* clamat Romanus miles. i)  
Et doli ejusmodi tanquam minus decentes Jure Gentium sanè videntur  
esse improbat. Apud Sophoclem k) Neoptelemus Ulyssi ad fraudem  
hortanti respondet:

*Non sic nec ego sum natus ut fallacias  
Secter, nec olim genitor, ut perhibent, meus  
At sum paratus vi merâ, non fraudibus  
Pertrahere ruptum.*

De Achille Horatii Scholiastes l) notat: Eum nihil fraude, sed semper  
palam virtutis fiducia dimicasse. Euripides m)

*Generosus animus hostibus furtim necem  
Inferre nescit.*

Darius Personam Rex: *Fiducia virium nil astu agere affirmans suis, occultâ  
consilia victoriæ furtivæ convenire dixit n)* Nec alia opinio Alexan-  
dri fuit, qui Parmenione, furto, non prælio opus esse censente, *Latruncu-  
lorū, inquit, & furū ista solertia est, quippe illorū votū unicum est fallere. Mea  
vero gloria semper aut absentia Darii aut angustias locorū (agnoscis simili-  
tudinem cum furculis Caudinis) aut furtū noctis obstare non patior. Palam  
luce aggredi certum est. Malo me fortune pœniteat, quam victoriæ pudeat. o)*  
Achæos abhoruisse ab omni in hostes fraude narrat Polybius p) ideo  
quod eam demum firmam censerent victoriâ quæ ipsos quoque hostes  
animo confessos subjugat. Idem de Atheniensibus testatur Thucydides q).  
Apud

---

h) Liv. d. c. 2. § 3. i) Liv. d. c. 3. k) in *Philoctete*. l) ad lib. 4.  
Od. 6. m) *Rheso*. n) Justin. l. XI. c. 6. o) Curt. l. 4. c. 13.  
p) lib. 13. c. 1. q) II. 8. 24.



Apud Caesarem r) Helvetii gloriantur: *Se ita à patribus majoribusq; suis didicisse, ut magis virtute quam dolo contenderent, aut insidiis niterentur.*

§. 43. Ipsos Romanos quod concernit, de iis ita testimonium perhibet Ælianus s) *Romanis propria est virtus, non per astus & vafritiem quaesita victoria.* Unde cum Perseus Macedonū Rex deceptus esset per inducias, & spem pacis, negabant veteres Senatorum se agnoscere Romanas artes: majores nunquam ut astu magis, quam virtute gloriarentur, bella gessisse. Non versutiis Punicis, non calliditate Græcâ apud quos fallere hostem quam vi superare gloriosius foret. Tum illud addebant: *interdum in presens tempus plus profici dolo quam virtute, sed ejus demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa esset, se neq; arte, neq; casu, sed collatis cominus viribus justo ac pio bello esse superatum* t) Etiam Tiberii adhuc temporibus responsum in Senatu memorat Tacitus: u) *Non fraude, neq; occultis, sed palam & armatum populum Romanum hostes suos ulcisci.*

§. 44. Sed quicquid hujus sit, licita esse in bello stratagemata, etiam falsiloquio interveniente, jam dudum demonstrarunt Jurisprudentiæ naturalis Doctores x) modo falsiloquium istud ad asserentem saltem sermonem referri queat, ut in nostro casu Pastorum Samnitium, non ad promittentem. y) Hinc rectè Ærodius z) *ante initum fœdus fraudem legitimam videri*, modo distinctionem datam adhibeas, quam ipse quidem Ærodius adhibuisse non videtur, dum alibi a) exempla licitæ fraudis affert, non omnino probanda. Quodsi autem aliqui populi hunc morem hosti nocendi sunt aspernati, factum est, non quia crediderunt jus aliquod violari, sed quia ferociores apud animos illa tantum hosti illata gloriæ ducuntur, quæ vigorem quendam & impetum animi ac corporis præferunt. b) Quin imò acutè Berneggerus c) postquam exempla similia rejectæ fraudis recensuisset, subjungit: *Ista plerumq; jaçantius dici quam fieri.*

§. 45. De Romanis ipsis Grotii observatio est: d) *Eos ejusmo-*

---

r) de bello Gallico l. 13. s) citatus Grot. l. 3. c. 1. §. 20. t) vid. Liv. l. 42. c. 47. u) Ann. l. 2. c. ult. x) vid. Grot. l. 3. c. 1. §. 6. seqq. Dn. Pufend. de Jur. Nat. & Gent. lib. 4. c. 1. §. 19. y) Dn. Pufend. d. l. Grot. d. c. 1. §. 18. z) lib. 3. tit. 5. c. 1. a) lib. 10. tit. 3. c. 14. b) Dn. Pufend. d. l. Doctiss. Dn. Kulpis Colleg. Grot. ad d. l. 3. c. 1. §. 3. c) ad Justin. lib. 2. c. 6. d) d. l. 3. c. 1. §. 20.



di fraudes ferme ad usque belli Punici secundi finem aspernatos fuisse. De L. Magio & L. Fannio transfugis à Mariano exercitu ad Mithridatem, & à Senatu hostibus judicatis, ita conjicit Asconius, e) damnationem istam saltem in speciem & propterea fuisse interpositam, ut prodicionem adjuvaret. Nam postea prodito ex magna parte Mithridate redierunt ad Romanos Fannius & Magius. Audi objectionem Regis Parthorum apud Ammianum f) *Illud apud nos nunquam acceptum fuit, quod asseritis vos Romani exsultantes: nullo discrimine virtutis ac doli, prosperos omnes laudari debere bellorum eventus.* Alia exempla recensere supersedeo, quæ plura collegit peculiari capite Valerius Max. g)

§. 46. Pergimus ad alia, & postquam supra h) ostenderimus, quomodo & sub qua sponsione furculas Caudinas evaserint Romani, deinde i) quomodo Sponsionem non servatam expiare intenderint iidem, jam principalem aggrediemur quæstionem, cujus gratiâ præsentem discursum suscepimus. *An rectè & justè hic Romani se gesserint? Ad quam ut respondeamus distinctè, paucis præmittemus quid sit sponsio? tum seorsim considerabimus: Utrum Consulibus Romanis imputari possit calamitas ista, ad quam exercitus Romanus in Furculis Caudinis erat reductus? Dein: Utrum, ipsi sponsores & præprimis Sp. Posthumius ex sua parte sponsionem servaverint? Denique an Romani deditione sponsorum fidem suam liberaverint?*

§. 47. Grotius l) conventionum publicarum tres ait esse species, *fœdera, sponsiones & pactiones* alias. Et de prioribus quidem duabus speciebus prolixè ibidem tractat, at de pactionibus, quas fœderi & sponsioni opposuerat, nulla amplius in toto isto capite occurrit mentio, nisi quod in fine ejusdem hæc legantur verba: *Restabat hic dicere de pactionibus, quas duces & milites non de eo quod summi est imperii, sed de re privata sua aut sibi permessa faciunt. Sed de his agendi alibi oportuniior erit locus.* At non video, quo modo hæc pacta quæ de re privata fiunt, possint esse species conventionis publicæ, cum sint potius privata.

§. 48. Forte divisionem istam Grotius ex Sigonio hausit, qui docet m) *tria amicitie ac societatis, qua se populus Romanus cum Italis ceterisq;*

---

e) apud Ærod. d. l. 10. tit. 3. c. 14. in fine. f) lib. 17. c. 10. g) lib. 7. c. 4. h) §. 4. i) §. 5. l) lib. 2. c. 15. §. 2. m) de antiq. Jure Italia. l. 3. c. 1. f. 137.



populis obstrinxerit, jura fuisse, sponſionem pactiōnem & fœdus, eamque in rem duo Tullii loca adducit, in priorum uno n) Cicero ita diſſerit: Ut quæq; civitas nobiscum maximè societate, amicitia, sponſione, pactiōne, fœdere conjuncta est, ita maximè communionem beneficiorum & præmiorum continere. In altero o) interrogat? Quod edictum magistratus? quod fœdus aut pactio? quibus poterat addi tertius ubi Pompeji laudat p) scientiam in fœderibus, pactiōibus &c. Porro differentiam harum trium specierum Sigonius tradit istam, quod fœdus pactiōne, pactio sponſione firmior atq; stabilior sit. Addit: Nam etsi pactiōnis nomine omnia, quæ cum hostibus paciscerentur, continebantur, quo etiam modo fœdus pactio nominari potest, tamen in locis Ciceronis præcipuam paciscendæ amicitiae rationem significatum existimo, ut inducias.

§. 49. Nescio verò an hæc pactiōnis explicatio cum mente Ciceronis conveniat, & annon potius Tullius in modo adductis locis vocem pactiōnis in laxiori significato pro synonymo fœderis usurpet. Deinde illud non parum inconueniens videtur, quod Sigonius inducias præcipuam paciscendæ amicitiae rationem appellet. Sed id haud dubiè inde evenit, quod idem Sigonius induciis pacem ad tempus iniri, fœdere in perpetuum, fuerit arbitratus.

§. 50. Nobis itaque alios Doctores secutis, & durantibus induciis belli statum manere statuentibus, aliter paulò differentiam harum trium specierum ostendere placet. Conventiones publicæ vel pace aut amicitia diversos populos uniunt, vel durante bello ineuntur. Has *pactiōnes* nominare licebit. Illæ vel autore eo qui τὸ κύριον gerit in Republica, panguntur, & dicuntur *fœdera*, vel per duces & magistratus inferiores absque autoritate publica, quæ *sponſiones* appellantur.

§. 51. Strictius itaque hic supponitur vox sponſionis, quam ex usu juris privati, ubi omnem promissionem denotat q) & differunt adeo uti apud Doctores fere in confessio est, sponſio & fœdus *causâ, ritibus, effectu*. *Causâ* ut jam diximus, *ritibus*, ut mox r) ostendetur, *effectu*, ut in fœdere populus iræ divinæ obstringatur, si minus, s) stetur dictis, at in sponſione liberetur dedendo sponsores.

D 2

§. 52. Pa-

n) Cic. pro Balbo. o) pro Cecina. p) item pro Balbo. q) l. 7. de V. S. r) §. seq. s) vid. Grot. II. 15, 3. Sigon. d. l. Arod. III. 5. 2, & 19.



§. 52. Pacem Caudinam quod attinet, ex haftenus dictis patet eam non ad foedus sed ad sponfionem referri debere. Ita disertè Livius: t) COSS. profecti ad Pontium in Colloquium, cum de federe victor agitarer, negarunt injussu populi foedus fieri posse, nec sine foecialibus ceremoni- aqve alia solenni. Itaq; non ut vulgo credunt, Claudiusq; [ puto illum antiquum Annalium Conditorum intelligi, cujus mentionem facit Gel- lius u) ] etiam scribit (cui adde Florum, w) & notat Sigonius: x) non infrequentem esse Historicis foederis & sponfionis usum promiscuum) foedere pax Claudina, sed per sponfionem facta est. Quid enim aut spon- soribus in foedere opus esset, aut obsidibus, ubi precatone res transigitur, per quem populum fiat, quo minus legibus dictis stetur, ut eum ita Jupiter feri- at, quemadmodum à foecialibus porcus feriat? Sponfionerunt COSS. Legati, Quaestores, tribuni militum, nominaq; omnium, qui sponfionerunt extant, ubi si ex foedere acta res esset, praeterquam duorum foecialium non extarent. Et propter necessariam foederis dilationem obsides etiam 600. eqvites imperati, qui capite luerent, si pacto non staretur.

§. 53. His praemissis ad primam quaestionem u) respondemus, Consulibus Romanis omninò imputandam fuisse tam turpem & ignominio- sam pactonem. Quà in re tamen eorum dolum non accusabimus, sed ignaviam, sed negligentiam, sed temeritatem. Jure enim illis hac ex- probrat miles Romanus, quod nullum ducem locorum adhibuerint, nullum exploratorem praemiserint, sed belluarum modo caeci in fove- am sint illapsi, x) unde nec immerito populus Romanus sponfionibus istis irascebatur. y) Etsi verò novus Consul in Senatu de pace saltem, non de noxa priorum Consulum aut poena retulisset, sentiebat tamen Posthumius, cum ab eodem ad dicendam sententiam nominatus fuisset, se non honoris causa primum excitatum fuisse, jussumq; dicere, non tanquam Senatorem, sed tanquam reum, quà infelicis belli, quà ignominiose pacis. Et quamvis idem Posthumius addidisset, se omisurum esse defensionem suam, quamvis ea non difficillima esset apud haud ignaros fortunarum hu- manarum, necessitatumque z) non tamen video, quo colore id quod culpâ suâ ac temeritate populo Romano acciderat ad casus & necessitates referre potuerit.

§. 54. Se-

t) l. 9. c. 5. u) Noët. Att. l. 17. c. 2. w) l. 1. c. 16. x) d. l. u) vid. §. 46.  
x) Liv. l. 9, c. 5. y) Liv. d. l. c. 7. z) Liv. d. l. c. 8.



§. 54. *Secundam* quæstionem a) quod attinet, video equidem, doctissimum Kulpisium b) asserere, quod omnes concedant: *Sponsores deditioe sua satisfacisse stipulantibus*. Et sane ipsum hostis testimonium posset aliquis in hanc causam adducere. Ita enim Pontius ad Posthumium: c) *Sed quid ego te appello, qui te captum victori cum quâ potes fide restituis?* Unde & Livius d) *sponsores sua fide liberant* in castra Romana rediisse tradit. Mihi verò cum diversa opinio arrideat, considerationes distinctæ videntur instituendæ: *quid promiserint sponsores? ad quid obligati fuerint? denique quomodo obligationi sue satisfecerint?*

§. 55. *Sposponderant*, inquit Livius, e) non autem addit quid sponsoverint. Ergo id ex antecedentibus eliciendum. Pacem petierant à Samnitibus Consules conditionibus æquis. Negaverat hanc Pontius alias condiciones duriores iis præscribens. f) De his fœdus injussu populi se facere posse negabant Consules. Sposponderunt itaque: & quid aliud, nisi: se curaturos ut fœdus à Romanis fieret & sponsio approbaretur. Promiserunt ergo diligentiam & operas in persuadendo populo Romano. Non enim puto promisisse se effecturos pacem, cum hoc & Samnites & ipsi Sponsores in potestate sua haud esse non ignorare potuerint.

§. 56. Jure privato, si quis alium daturum facturum quid promiserit, non obligabitur, veluti si spondeat, Titium quinque aureos daturum. Quod si effecturum se ut Titius daret, sposponderit, obligatur g) Prius videtur verum esse, si strictè velimus in hæere verbis ejusmodi promissionis quia de se nihil promittit. Quoniam tamen inconveniens est actus alicujus serio suscepti nullum esse effectum, inde facile est ut eam promissionem sic interpretemur: illum curaturum ut alter det vel faciat, quam ob rem & alibi jus Romanum obligationem oriri vult, etsi quis disertè curam aut factum suum non promiserit. h)

§. 57. Porro secundum jus Romanum non adeò accuratè semper dispicitur, utrum quis curam facti alieni, an & effectum promiserit, cum ferè indistincte promissor facti alieni ad interesse teneatur. i) At ex na-

D 3

tu.

---

a) *vid. iterum §. 46.* b) *Colleg. Grot. ad lib. 2. c. 15. §. 5. lit. u.* c) *Liv. d. l. 9. c. 11.* d) *d. l.* e) *vid. §. 52.* f) *vid. supra §. 4.* g) *§. 3. Inst. de inutil. stipul.* h) *vid. l. 14. §. 2. de const. pec. l. 81. pr. de V. O. tt. ff. rem rat. haberi.* i) *d. d. l. l.*



turali æquitate hic interessè videtur. Quodsi enim expressè ita sit conce-  
pta promissio, me *operam daturum*, ut tertius certam rem aut actionè alicui  
exhibeat; tunc teneor omni modo moraliter possibili laborare, ut ad ean-  
dem exhibendam alter permoveatur. *Moraliter possibili* dico, i.e. quan-  
tum alter honestè à me postulare potest, & quantum vitæ civilis ratio fert.  
Unde si ex mea parte nihil intermisero, & tertius tamen facere abnuat, ad  
id quod interest, haud quicquam tenebor, nisi hoc expresse receperim,  
aut ex negotii natura recepisse intelligar. *M. Valerii dictatoris velut per-  
solutam fidem arbitratus est populus Romanus, quoniam per eum non stetisset,  
quin præstaretur.* 1) Quodsi vero ita promittam, *ni tertius præstet, me cer-  
ti quid daturum*, manifestum est tertio non præstante, meum promissum  
committi. Cui simile fere id, quod legibus Romanis m) erat constitu-  
tum, ut si quis rem alienam legaverit, quam alienam sciebat, heres eam  
redimere cogeretur, & præstare, aut si eam redimere nequiret, æstimationem  
ejus dare. n) Quemadmodum verò is qui certum quid dare promisit,  
pœnâ solutâ liberatur, ita qui non saltem curaturum se ut quid fiat obli-  
gavit, sed *effecturum* se id promisit, absque determinatione certæ pœnæ,  
videtur se tacitè ad præstandum interessè obligasse.

§. 58. Quamvis autem alias non Juris Civilis saltem regula, sed &  
principiis naturalis juris conveniens sit, debitorem promissionis disjun-  
ctivæ, quique se illud aut illud facturum vel daturum spondit, non  
saltem liberari si unum horum præstiterit, sed etiam electionem habere  
præstandi utrum ipsi libuerit, o) limitationem tamen illam admittet  
hæc regula, si utrumque debitum principale sit. Aliud itaque dicendum  
erit, si in debito disjunctivo unum principalis debiti rationem habeat,  
alterum secundarii, si scilicet prius non fuerit præstitum, aut præstari am-  
plius non possit. Hic enim debitor electionem non habet, & si principa-  
le debitum non adimpleat etsi quandoque in foro exteriori præstando  
posterius liberetur, maculat tamen non leviter suam conscientiam, pote-  
ritque si creditori libuerit, & factum adhuc sit possibile, præcise ad imple-  
tionem istius debiti principalis adigi. Ita qui v.g. legem violat proprie  
dictam, peccat etiam si pœnam sustinere paratus sit.

§. 59. Similis est ratio ejus qui ad dationem vel factum expromis-  
so

1) *Liv. lib. 2. c. 31.* m) §. 4. *Inst. de Legat.* n) *Celeb. Pufend. de Jure Nat.*  
*lib. 3. c. 7. §. 10.* o) §. 33. *Inst. de act. l. 10. in f. de jure dot.*



so est obligatus. Hic enim si fidem suam non liberet etsi à creditore ad inter-  
esse non conveniri possit, electionem tamen ipse non habet, an principale  
debitum an interesse solvere velit, sed præcisè in conscientia tenetur, ut  
prius servet. Quam æquitatem secuti Legislatores Romani sapienter  
statuerunt, per stipulationem poenalem non tolli neq; novari, sed explica-  
ri saltem priorem obligationem dandi aut faciendi p) item debitorem  
non liberari præstando interesse, quæ regula etiam in promissionibus fa-  
ciendi ex veriori sententia obtinet. q) Unde porro sequitur, gravius pec-  
care adhuc illum, qui suæ paupertatis & impotentiaæ conscius probè co-  
gnoscit, se creditori interesse non posse præstare, & tamen data opera ad  
quod principaliter se obligaverat non præstat.

§. 60. Ex dictis jam abunde constabit, sponsores pacis Caudinæ,  
sive eos ut vulgares promissores alienorum factorum debitâ curâ & dili-  
gentia adhibita liberari statuamus, sive cum Grotio r) dicamus eos ad  
instar eorum qui rem ratam haberi promiserunt, ultra operam omnem  
ad interesse obstringi, hoc est ad sui & bonorum suorum deditonem, cer-  
tè ad id fuisse obligatos, ut diligentiam suam adhiberent, quo Romano  
populo conservationem pacis cum Samnitibus persvaderent.

§. 61. Neque enim assentire possumus Henrico Henniges statuenti  
s) si quis rem examinare plenius vellet, sponsores istos ab omni obliga-  
tione fuisse liberos, quoniam voluntates & actiones civium, ita sunt in po-  
testate & arbitrio eorum, qui jus summi imperii habent, ut prohibentibus  
illis nihil, quod teneat, possint agere. Interdixisse autem civitatem civi-  
bus agendi facultatem semper censerit, si qui actus in præjudiciûm & da-  
mnum Reip. vergant, nisi vel ad id agendum habeant mandatum specia-  
le, vel res ita sit comparata, ut aliis, quas agere iussi sunt, necessario nexu  
cohæreat. In specie in Caudina sponsione sponsores Consules, fœdus  
à populo Romano ictum iri cum Samnitibus. Hoc quoniam neque po-  
tuerint per se spondere Consules, neque actus officio eorum connexus fue-  
rit, nam ad bellum gerendum, non faciendam pacem missos fuisse, sequi  
eos hæc spondendi facultatem non habuisse, sed eam antecederet à Rep.  
ipsis fuisse subtractam & hac ratione sponsionem invalidam, quin plane  
nullam esse, sponsores ad nihil omnino obligatis.

§ 62

---

p) l. 115. §. f. de V. O. l. 10. §. 1. de pactis. l. 44. §. pen. de O. & A. junct. l. f.  
C. de novat. q) vid. Huber. ad Inst. de V. O. posit. 24. r) l. 2.  
c. 15. §. 3. & 16. s) in comment. ad Grot. d. l. p. m. 747. seqq.



§. 62. In hoc discursu si tria negaveris illatio sua sponte corruet. Initio enim negamus sponfionem hanc in damnum & præjudicium populi Romani fuisse conceptam, ut infra suo loco demonstrabitur. Deinde falsum est, per se non potuisse spondere Consules, fœdus à populo Romano ictum iri, si modo hanc phrasin rectè & secundum ductum eorum quæ supra t) disseruimus, explices. Tertio nec illud simpliciter admittere possumus actum hunc sponfionis, Consulium officio fuisse connexum. Erant enim Imperatores exercitus principaliter quidem *ad bellum gerendum non faciendam pacem missi*, quod lubenter Hennigi concedimus. At nec pacem fecerunt, sed sponfionem saltem de pace futurâ, ut adeo rationes Hennigis, aliquid inferrent si fœdus celebratum fuisset non nuda sponfio.

§. 63. Taceo quod officium boni ducis non tantum in actibus bellicis consistat, sed potissimum etiam ut milites sibi creditos quantum salva Reip. utilitate fieri poterit, conservet. Et nescio profecto uter finis pro magis principali haberi debeat, an lucri acquisitio, damnum hostibus inferendo, an damni evitatio exercitum conservando. Non provocabo ad regulam juris privati, quod favorabiliorem dicit esse causam eorum qui in damno evitando quam qui in lucro captando sunt occupati u) tuum dictum, optime Imperator Antonine, sententiam meam corroboret, quod frequenter in ore habebas: *Melius esse servare unum civem, quàm occidere mille hostes.*

§. 64. Ergo si, quæ ad finem juris consequendi sunt necessaria, ad ea etiam jus habere intelligimur x) habuerunt etiam sponsores isti jus ad sponfionem Caudinam, cum sine ea Romani servari non potuerint. Nam summam adfuisse necessitatem satis ostendunt ea, quæ prolixè commentatur Livius. y) Deinde uti duces bellici bellandi causa dantur, non pacis condendæ, ita duces & præfecti, qui in præsidiis collocantur pacis conservandæ causa non belli gerendi constitui solent. Et tamen, si præsens sit periculum ut tempus non ferat eum consuli, qui supremum in civitate jus habeat, hinc etiam necessitas exceptionem porriget; z) cur non eadem exceptionem porrigeret etiam in ducibus bellicis?

§. 65. Restat jam ut consideremus a) quomodo sponsores obligati

t) §. 55. u) l. 41. §. 1. ff. de R. I. l. f. §. 5. C. de Jur. deliberan.  
x) Grot. l. 1. c. 3. §. 2. y) lib. 9. c. 2. 3. 4. z) Grot. lib. 1. c. 3. §. 4.  
a) vide supra §. 54.



gationi suæ satisfecerint. Secernendus à reliquis Sp. Posthumius. Spospon-  
derant enim Coss. Legati, Quæstores, Tribuni militum. Equidem Tribuni  
militum diligentiam, quæ ab ipsis postulari poterat adhibebant, ut Ro-  
manis pacem cum Samnitibus servandam esse persuaderent; Siquidem  
non intercedebant saltem deditiõni quam Posthumius svaserat, sed & aper-  
tè profitebantur b) *non exolvi religione populum nisi omnia Samnitibus qua-  
lia apud Caudium fuissent, restituerentur*, nec antea deditiõnem approba-  
bant, nisi postquam vidissent, intercessionem suam esse frustaneam, & po-  
pulum à Posthumio in ipsorum perniciem instigari. c)

§. 66. De Quæstoribus, Legatis, & Veturio Calvino Posthumii  
Collega, nil nisi quod autoritate Posthumii commoti fuerint, ut se in sena-  
tus dicerent fore potestate, Livius commemorat. d) Silentium tamen eo-  
rum hic videtur satis intempestivum, quod ad exemplum tribunorum ple-  
bis Posthumio non contradixerint, populoq; Romano quantum in se erat  
approbationem sponsionis persuadere allaboraverint. Non itaque pote-  
runt hi pro talibus haberi, qui sponsioni suæ & obligationi inde oriundæ  
satisfecerint.

§. 67. Sed minus illorum peccatum erat, quam Sp. Posthumii.  
Peccabant illi omittendo & tacendo. Posthumius contra plura commit-  
tebat, quibus fidem Samnitibus datam violabat. Non enim svadebat  
saltem populo, istum ad nihil amplius, nisi ad sponforum deditiõnem tene-  
ri, sed & dissuadebat acceptationem sponsionis & Tribunos fide datà se li-  
berantes graviter increpabat, quin imò Samnitibus deditus à Romanis  
culpam violatæ religionis ad hos, quamvis ineptè, transferre gestiebat.

§. 68. Postquam enim à Quinto Publico Philone evocatus esset,  
ut suam de pace Caudinâ primus sententiam diceret, postquam  
pauca & obiter quasi, temeritatem suam & culpam tecturus de in-  
fortunio suo narrasset, quæ jam supra e) examinavimus, subjunxit, f)  
*se sententiam suam de isto pacis negotio paucis peracturum, eamq; senten-  
tiam testem futuram, sibi ne an legionibus Romanis pepercerit, cum se seu  
turpi, seu necessaria sponsione obstrinxerit. Ea tamen cum injussu populi  
facta sit, non teneri populum Romanum, nec quicquam ex ea præterquam  
corpora Sponforum deberi Samnitibus.* Dedamur ergo, addit, per fœciales

E

nudi

b) Liv. l. 9. c. 8. c) Liv. d. 1. c. 9. & 10. d) d. c. 10. e) §. 53. f) Liv.  
d. 1. 9. cap. 8.



nudi vinctiq; exolverunt religione populum, si qua obligavimus: Ne quid divini humaniq; obstat, quo minus justum piumpq; de integro ineatur bellum, interea COSS. exercitum scribere, armare, educere placet; nec prius ingredi hostium fines, quam omnia iusta in deditioem nostram perfecta erunt. Vos dii immortales precor, quae solemus, si vobis non fuit cordi Sp. Posthumium T. Veturium COSS. cum Samnitibus prosperè bellum gerere: at vos satis habeatis vidisse nos sub jugum missos, vidisse sponsione infami obligatos: videre nudos vinctosq; hostibus deditos, omnium iram hostium nostris capitibus excipientes, novos COSS. legionesqve Romanas ita cum Samnitate gerere bellum velitis, ut omnia ante nos Consules bella gesta sunt.

§. 69. Itane Posthumi fidem tuam Samnitibus datam exolveris? ita sponsionis tuae memor deditioem tui & sociorum tuorum, tam serio evades? An hanc Samnitibus sponsoveras? an potius te velle curam adhibere omnem ut pax ista à populo Romano servaretur? An obsidibus sexcentum, qui populo Samniti in fidem sponsionis traditi erant praedixeras, te istud consilium animo volvere, ut tu quae sponsoveras, dissuadendo eos summo vitae periculo exponeres? At, inquis, dolebat ignominia, dolebat deformatio tantae majestatis, dolebat me consulem tam nefandum spectaculum praebuisse hostibus ac militibus, dolebat ista mei seminudi sub jugum missio: Ita quidem est, sed nihil inexpectati tibi accidit. Praedixerat enim Pontius haec ita futura esse. Erat res arbitrii tui, cur sponsoveras? Vim fortè allegabis adeoque te ad sponsionem servandam haud fuisse obligatum. Nec sic tamen evades. Erat vis, sed iusta, hoc est in bello non dicam iusto, [ quamvis & hoc possem g) ] sed quod sufficit solenni & publico tibi illata. Imo si verum fateri volumus, merebaris tu quidem ignominiam istam, merebaris eandem tua temeritate, quod nullis praemissis exploratoribus in locum incognitum ita temerè te, ita exercitum tuum conjeceras h) merebaris eandem insolentia tua, quod in summis constitutus angustiis Legatos instruxeras pace aequa à Pontio non impetrata, ut ad pugnam provocarent. i)

§. 70. Istud autem facile largior, ex ira hoc quicquid est consilii tui, emanasse. Agnoverat hoc prudentissimè Ofilius Calavius, qui ex  
*silen-*

g) vid. supra §38. seqq. h) *Dn. Pufend. l. 8, c. 9. §. 12.* i) vid. *Liv. d. l. 9. c. 4.*



silentio tuo obstinato, fixisq; in terram oculis, & surdis ad omnia solatia auribus ac pudore intuenda lucis sapienter coniecerat, ingentem molem irarum ex alto animo cientis hæc indicia esse: aut se Romana ignorare ingenia: aut silentium illud Samnitibus flebiles brevi clamores gemitusq; excitaturum. 1) Hanc iram nondum concoxerat animus tuus dum in Senatu sententiam diceres. Eundem enim vultum tibi Livius m) tribuit, quo sub jugum missus eras, id est eundem quem in te modo observaverat Ofilius. Et ergo hic affectus infaustum illud Samnitibus consilium tibi suppeditavit.

§. 71. Dicam ulterius. Timebas iram populi Romani, timebas supplicium negligentiae tuae debitum, quicquid etiam dissimules. Id enim dissimulare non poteras, te intentionem Publii satis percepisse, te evocantis ut primus sententiam diceres, non ut senator, sed reus quæ infelicis belli, quæ ignominiosæ pacis. Igitur cum jam expertus fuisses milites qui te paulo ante execraverant ac dedendum & lacerandum censuerant, ad miserationem commotos oculos avertisse, cum remotis lictoribus ac detractis paludamentis seminudus jugum subires, n) consilium excogitasti, quo iram populi & Senatorum in misericordiam converteres.

§. 72. Nec parum te stimulabat cupiditas vanæ gloriæ, cum scires à tuis æstimari illos omnes, qui amorem patriæ prætendentes dirum aliquid & funestum in se statuerent, quod tu eò facilius arripiebas, quod agnosceres simile quid ut in te à populo statueretur, tuam negligentiam meruisse. Utque eo melius tuorum animos demulceres, non sufficiebat tibi eos à non servanda sponsione amovisse, modum ostendebas insuper, quomodo Samnites ulterius decipere valerent, si non ante deditioem perficerent, quam ad bellandum egregie forent parati, quò videlicet Samnites ex Romanorum silentio, n) sponsionis ratihabitionem forte colligentes & alia omnia à te expectantes consilium istud tuum non subolerent. Denique ut eo speciosius falleres in cautas tuorum mentes, omnia ex utilitate metientes suâ, non dubitabas etiam Deos in auxilium invocare, nihil omnino curans perfidus ac impius apud alios audires; modo Romanis gloria & honore dignus videreris.

§. 73. Hi ergo erant fontes, hæc erat intentio Posthumii. Neque eum spes quam conceperat animo fefellit. Nam ubi ista dixerat,

E 2

nat,

1) Liv. d. l. 9. c. 7. m) Cap. 8. n) Liv. d. l. 6. 5. n) conf. Grot. l. 2. c. 15. S. ult.



rat, tanta simul admiratio miserantiq; viri incessit homines, ut modo vix crederent illum eundem esse Sp. Posthumium, qui autor tam fœda pacis fuisset, modo miserarentur, quod vir talis etiam præcipuum apud hostes supplicium passurus esset ob iram diremptæ pacis. Igitur omnes laudibus prosequentes virum, in sententiam ejus pedibus ire instituebant. o)

§. 74. Percipiens ista Posthumius, ne gloriam quam sibi parari videbat turbarent tribuni plebis servationem sponsionis Romanis consulere nitentes, seque tanquam sacrosanctos à deditioe liberare cupientes, non minori specie, nec majori erga Samnites fide cœptam telam perficere refutando tribunorum sententiam pergit. Interea dedite profanos nos, quos salva religione potestis; dedetis deinde & istos sacrosanctos, cum primum magistratu abierint. Sed si me audiat, priusquam dedantur, hic in comitio virgis casos, hanc jam ut intercalatam pœnæ usuram habeant. Nam quod deditioe nostra negant exolvere religione populum: id istos magis ne dedantur, quam quia ita se res habeat, dicere, quis adeo juris fecialium expertus est, qui ignoret? Neg, ergo inficias eo, Patres conscripti, tam sponsiones quam fœdera sancta esse apud eos homines, apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur. Sed injussu populi nego quicquam sanciri posse, quod populum teneat. An si eadem superbia, quâ sponsionem istam expresserunt nobis Samnites, cœpissent nos verba legitima deditium urbes nuncupare, deditum populum Romanum vos tribuni diceretis? & hanc urbem, templa, delubra, fines, aquas Samnitium esse? Omitto deditioem, quoniam de sponsione agitur. Quid tandem si spondidissimus urbem hanc relicturum populum Romanum? si incensurum? si magistratus, si senatum, si leges non habiturum, si subregibus futurum? Dii meliora, inquis. Atqui non indignitas rerum sponsionis vinculum levat. Si quid est in quo obligari populus possit, in omnia potest. Et ne illud quidem, quod quosdam forsitan moveat, refert, Consul an dictator an prætor spondiderit. Et hoc ipsi etiam Samnites judicaverunt, quibus non fuit satis COSS. spondere, sed legatos, quæstores, tribunos militum spondere coegerunt. Nec à me nunc quisquam quæsierit, quid ita spondiderim, cum id nec consulis jus esset: nec illis spondere patem, quæ mei non erat arbitrii, nec pro vobis, qui nihil mandaveratis, possem. Nihil ad Caudium, Patres conscripti, humanis consiliis gestum est: dii

o) Liv. d. l. 9, c. 8.



dii immortales & vestris & hostium imperatoribus mentem ademerunt, nec nos in bello satis cavimus: & illi male partam victoriam male perdidērunt, dum vix locis, quibus vicerant, credunt, dum quacumque conditione arma viris in arma natis auferre festinant. An si sana mens fuisset difficile illis fuit, dum senes ab domo ad consultandum accersunt, mittere Romanam legatos? cum Senatu, cum populo de pace ac fœdere agere? tridui iter expeditis erit. Interea in induciis res fuisset: donec ab Roma legati aut victoriam illis certam aut pacem afferrent. Ea demum sponsio esset, quam populi jussu spondissemus. Sed neque vos tulissetis, neque nos spondissemus. Nec fas fuit alium rerum exitum esse, quam ut & illi velut somnio letiore, quam quod mentes eorum capere possent, ne quicquam eluderentur, & nostrum exercitum eadem qua impedierat fortuna expedirât. Vanam victoriam vanior irritam faceret pax: sponsio interponeretur, qua neminem præter sponsorem obligaret. Quid enim vobiscum Patres conscripti, quid cum populo Romano actum est? quis vos appellare potest? quis se à vobis dicere deceptum? hostis? an civis? Hosti nihil spondistis: civem neminem spondere pro vobis iussistis. Nihil ergo vobis nec nobiscum est, quibus nihil mandastis, nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egistis. Samnitibus sponsores nos sumus rei satis locupletes in id quod nostrum est, in id quod præstare possumus, corpora nostra & animos: in hæc sæviant, in hæc ferrum, in hæc iras acuant. Quod ad tribunos plebis attinet: consulite utrum præsens deditio eorum fieri possit, an in diem differatur. Nos interim T. Veturi vosque ceteri viliâ hæc capita luenda sponsionis feramus & nostro supplicio liberemus Romana arma. p)

§. 75. Quam speciosa autem hæc sit oratio, facile tamen agnoscere poterit in ea mens coloribus & inanibus rerum figuris decipi nescia, artes Posthumii. Nil nisi gloriam affectabat apud suos, & injustitiam ac perfidiam pallio amoris erga patriam tegere studebat. Quare etiam crudelitate in tribunos non abstinere, nihil sponsione sua apud populum meritos, cum astute prævideret, solum nomen suum quicumque etiam & quotquot simul dederentur, apud Romanos propter tam faustum consilium immortale futurum. Spectant autem omnia quæ in ista oratione fuerunt allata vel obligationem populi Romani, vel sponsores ex sponsione debitam.



§. 76. De priore suo loco dicitur. Posterius quod concernit iure sibi hanc objectionem movit Posthumius, cur sponderit Samnitibus pacem, cum eam sciret in sua non esse potestate, sibiq; de eâ nihil fuisse à populo Romano mandatum. Sed quid respondet? Impertinentia, aliena, imò fere contradictoria. Quid enim ad quæstionem istam facit imprudentia Samnitium, inq; cautelis sponsonis adhibendis negligentia. An hæc Posthumium à perfidia liberabit? Non magis puto, ac apud probos & cordatos viros privatus infamiam evitabit, qui ad sui excusationem, quod alteri promissa non servaverit, nihil aliud adducit, quam quod ab altero verba, quæ istam fraudem præcinderent contractui expresse non fuissent inserta. An Deos arbitratur Posthumius, ad quos provocat, subtilitatum forensium curam agere, & reservationum mente retenturam. Aliter certè & rectius sensit Qv. Metellus Numidicus, cum recusaret in Leges Saturnini jurare. Etiam si enim Marius Consul & alii Posthumio nostro similes, dicerent, ob tempora Reip. recte id posse suscipi, ejusque vim elidi tacita hæc conditione; se jurare in legem, siquidem lex esset, i. e. si ritè rogata & lata esset. Atqui postea facile ostendi posse, nullam esse hanc legem, quippe quæ lata sit Jove tonante, quod ubi fiebat, nihil cum populo agi fas erat. Sed ille malebat patria carere, quam hoc astu uti; quippe cum, qui jurarent, sanè præ se ferrent pro vera lege sese illam rogationem agnoscere q) Contra Posthumius, etsi sentiret, Samnites arbitrari, Consules & reliquos Magistratus spondere posse, etsi hoc ipse tacitè præ se ferret, putavit tamen se elusione ista, quod sponsio non sit, nisi quam populus jusserit perfidiam à se posse avertere, neque hoc solum putavit, sed diis etiam sceleris hujus auctoritatem adscribere non est veritus.

§. 77. Præterea parum coherent Posthumii Sophismata. Aut enim sponsio ipsam obligavit, aut minus. Posterius dicere non poterit, cum ipse statim fateatur *sponsonem istam neminem præter sponsorem obligare.* Quod si verò sponsorem obligat, manet indecisa quæstio, cur eam non servet ipse, & consilia Romanis det de eadem confirmanda, aut, si hoc tempore sponsonis non in mente habuerit, quid ita sponderit? Quod si urgere velit, se saltem ad interesse teneri, non ad curam quò sponsio à Romanis confirmetur, contrariam supra r) ostendimus. Vana

---

q) Appian. lib. 1. de bell. civ. Plut. in Mario r) §. 58. seq.



nā insuper est jactantia dum se & reliquos ipsores *reos satis locupletes* esse affirmat. Neque enim Samnitibus interesse prestare poterat, cum eorum interesset, si pax non servaretur, eos omnes in potestate habere qui in furculis Caudinis antea erant inclusi. Et ridiculum certè est quod mox addit: *se esse reos satis locupletes, sed in id saltem quod eorum esset, in id quod prestare possint.* Quasi dicere velis, eum qui in mille fidejussisset, locupletem esse fidejussorem, si omnia solvat, quæ habeat, non haberet autem ultra centum? Illud tamen arripio, quod Posthumius confitetur se Samnitibus debere corpus & animum. Jam si animum debet, cur ipsorum causam non agit apud Romanos? Cur Deos invocat, ut victoriam Romanis contra Samnites indulgeant? Denique, ut ad ultimum Posthumii peccatum progrediar, cur tam ineptè, quod supra s) recensuimus femur fœcialis in deditioe percutiendo Samnites accusat, quasi jus gentium violaverint?

s) §. 78. Graviter ob hoc ultimum factum Romanos & Posthumium increpat Pontius. t) *Gerite, inquit bellum, quando Sp. Posthumius modo legatum fœcialem genu percutit. Ita dii credent Samnitum civem Posthumium, non civem Romanum esse, & à Samnite legatum Romanum violatum; ex vobis justum in nos factum esse bellum. Hæc ludibria religionum non pudere in lucem proferre? & vix pueris dignas ambages senes ac consulares fallende fidei exquirere?*

§. 79. Offerret hic equi dem se occasio de legatorum inviolabilitate, tum de modis quibus aliquis esse civis desinat, quædam differendi, sed cum jam quidem noster scopus non sit leges naturales explicandi, sed tantum eas ad facta Romanorum applicandi, & vero nemo facile inveniri queat, qui hoc Posthumii factum justitia nixum opinetur, frustraneam eâ de re haud instituemus disputationem. Nescio enim an turpius hoc facto se & Romanam fidem conspurcaverit, an Gentilis turpius idem defendere intenderit, dum ait u) *Nec tamen aut illa Posthumii dediti ludibria sunt, ut Picene credis. Ille enim aut se confecturum fœdus promisit, aut dedititium futurum Samnitum, quæ conventio & ex parte istorum stat, qui habituros eum dedititium simul stipulati intelliguntur. Et ergo illorum erat Posthumius. Inepta omnia, vel ipso Gentili fatente, quamvis ineptias majores prioribus cumulet, sic enim pergit.*

s) §. 5. t) Liv. l. 9 c. II. u) de arm. Rom. l. 2, c. 6. p. 167.



git. *Hæc tamen ad rem nihil, stratagema hominis fuerit ad animandos suos. Stratagema justum est.* Stratagemate verò utendi tum tempus erat, cum fœcialis Romanus tam serio & sanctè præ se ferret, populum Romanum scelere impio se velle solvere. Illud potius inde colligo fuisse hoc indicium turbatæ Posthumii conscientia, svasoriis suis orationibus & deorum invocationibus causam Romanæ justitiæ non potuisse firmiter populo persuaderi. Quid enim aliàs hisce ludicris ambagibus fuisset opus?

§. 80. Nisi fortè dicere velis, [quam conjecturam non improbabilem suppeditat Henniges w) ] Posthumium hoc factò longè quid aliud intendisse. Legatum enim perculsione suâ violasse indubium erat. Quodsi jam deditioem Samnites acceptassent, ad eos transivisset noxa illa, & violatorem juris Gentium debuissent Romanis iterum ad pœnam tradere, & ita suâ calliditate Posthumius facile Sanitium manibus elabi potuisset, sine dubio Romanos clementes dominos habiturus. Juvant conjecturam istam non saltem, quod Modestinus †) scriptum reliquit: *Si quis legatum hostium pulsasset, contra jus gentium id commissum esse existimatur, quia sancti habentur legati.* Itaque cum qui legatum pulsasset Q. Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere: sed & similia exempla. Ita enim juvenes quidam dediti sunt Apolloniatis, quorum legatos ad Senatum missos pulsaverant; ita Myrtilus & Manlius jussu M. Claudii Prætoris, quod legatos hostium pulsasse ducebantur per fœciales traditi sunt legatis & Carthaginè avecti \*)

§. 81. Quicquid itaque de Posthumio prædicet Livius x) eum suam liberasse fidem, testimonium hoc non curo, cum à Romano profectum sit, inter quos clariorè deditio Posthumium, quam incruenta victoria Pontium inter Samnites fecit y) Verba vero Pontii apud eundem Livium z) sunt, uti & antecedentia, & quæ sequuntur, ostendunt, non verba laudantis, sed excusantis & perfidiam Posthumii in relatione ad perfidiam Romanorum extenuantis.

§. 82. Ad quam adeo, ut quæ ultimo in quæstionem venit, a) dela-

---

w) ad Grot. p. 752. †) l. 17. ff. de legationib. \*) vid. lib. 15. epit. Liviana. Livium ipsum lib. 38. Franc. Baldanum in Jurisprud. Muciana p. m. iii. x) d. l. 9. c. ii. y) Liv. d. l. c. 12. z) d. c. ii. a) vide supra §. 46.



delapsi, maximam ferè hic deprehendimus difficultatem, cum præter Albericum Gentilem hîc Romanorum causam agat summus Grotius, eumque secuti alii non pauci Romanos ex hac sponsione ne quicquam fuisse obligatos propugnent. Nos ut aliàs, ita nec hic autoritatibus virorum quamvis magnorum terrebimur, sed veritatem nudam ac infucatem secuti, tentabimus, annon iniustitiam Romanorum etiam in hoc ultimo capite ostendere valeamus, Et forte ad hoc ipse suppeditabit arma Grotius.

§. 83. Cui & initium pugnae facere permittimus. Ita vero Romanos tuetur. b) *Quæri solet: si improbetur à Rege aut civitate sponsor, in quid teneantur sponsores: ad id quod interest, an ad restituendam rem in eum statum, in quo erat ante sponsonem, an ad corpus dedendum? Prima sententia videtur Juri Civili Romano congruere, secunda æquitati, quam in Caudinâ controversia tribuni plebis urgebant: tertia usu probata est; ut exemplis sponsonum duarum nobilium, Caudinæ & Numantina apparuit. Sed illud ante omnia tenendum; cum qui summum imperium habet, nullam in partem obligari. Bene enim Romanis Posthumius. Hosti nihil &c. Bene idem: Injussu populi &c. & hoc non minus recte: si quid est &c. c) Ergo nec ad id quod interest, nec ad restitutionem populus tenebatur: cum quo si negotium sibi esse voluissent Samnites, retinere exercitum apud Furculas Caudinas debuerant, & Romam legatos mittere, qui cum senatu ac populo de pace ac fœdere agerent, ut quanti ipsi esset exercitus incolumitas, id ipsi aestimarent. Tum demum si pactis statum non esset potuissent dicere, quod & ab ipsis & à Numantinis dictum ait Vellejus, publicæ violationem fidei non debere unius sui sanguine. Majori specie dici potest milites omnes fuisse obligatos. Et certè æquum id esset, si ipsorum jussu ac nomine contractum foret à sponsoribus, ut in pacto, quod Hannibal fecit cum Macedonibus factum videmus. Quod si fide sponsorum & sexcentorum, quos impetrarunt, obsidum, fuerunt contenti Samnites, habent quod sibi imputent. Rursum si sponsores præ se tulerunt potestatem publico nomine contrahendi, ex damno per dolum dato ad restitutionem tenebantur. Si id non apparet tenebantur ad id quod intererat ex vi negotii ratum haberi. Et hoc casu non corpora tantum, sed & bona sponsorum*

F

rum

b) lib. 2. c. 15. §. 16. c) Hæc Posthumii verba ad quæ Grotius provocat exhibuimus jam supra §. 74.



rum fuissent obligata Samnitibus, nisi pœnam vice ejus, quod interest, expressissent. Nam de obsidibus convenerat, ut capite lucrent si pacto non staretur. De Sponsoribus an eadem dicta sit pœna, in obscuro est. Pœna autem stipulatio tali modo facta efficit, ut si factum præstari nequeat, nihil aliud sit in obligatione: succedit enim certum loco incerti, quod interest. &c.

§. 84. In verbis modo recensitis principalis quidem intentio Grotii est, ut ostendat ad quid obligati fuerint sponsores, de quo nos supra d) prolixius egimus, sed plura hic immiscet, quæ spectant ad ipsam obligationem totius populi Romani, tum etiam quæ ad obligationem militum, qui erant simul in furculis. De militibus itaque & nos paucis tractabimus. Dicit Grotius æquum fuisse, ut milites obligati fuissent, si eorum jussu ac nomine contractum foret à sponsoribus. Accepto hoc Groti, & in sto. Atqui sponsio jussu militum facta est. Rem perspicuè describit Livius, cujus verba, e) cum simul contineant svasoriam Lentuli in sequentibus usui nobis futuram, non pigebit apponere. *Cum Legatio renunciaretur, ait (scilicet Leges & conditiones f) sub quibus Pontius pacem iniri volebat) tantus gemitus subito omnium exortus est, tantaq; maestitia incessit, ut non gravius accepturi viderentur, si nuntiaretur, omnibus eo loco mortem oppetendam esse. Cum diu silentium fuisset, nec Coss. aut pro fœdere tam turpi, aut contra fœdus tam necessarium hiscere possent. Tum L. Lentulus - princeps legatorum. Patrem meum, inquit, Coss. saepe audivi memorantem se in capitolio unum non fuisse autorem senatui redimendæ auro à Gallis civitatis, quando nec fossa vallog; ab ignavissimo ad opera ac muniendum hoste clausi essent, & erumpere si non sine periculo magno, tamen sine certâ pernicie possent. Quod si, ut illis decurrere ex capitolio armatis in hostem licuit, quo saepe modo obsessi in obsidentes eruperunt: ita nobis æquo aut iniquo loco dimicandi tantummodo cum hoste copia esset, non mihi paterni animi indoles in consilio dando deesset. Equidem mortem pro patria præclaram esse fateor, & me vel devovere pro populo Romano legionibusque, vel in medias me mittere hostes paratus sum. Sed hic patriam video, hic quicquid Romanarum legionum est, quæ nisi pro se ipsis ad mortem ruere volunt, quid habent, quod morte sua servent? tecta urbis dicat aliquis, & mœnia, & eam turbam, à qua urbs incolitur. Imò hercule produntur magis omnia dele-*

d) §. 56. seqq. e) lib. 9. c. 4. f) vid. supr. §. 4.



delecto hoc exercitu, non servantur. Quis enim ea tuebitur? imbellis vide-  
licet atq; inermis multitudo? tam hercule, quam à Gallorum impetu defen-  
dit. An à Vejis exercitum Camillumq; ducem implorabunt? Hic omnes  
spes opesq; sunt, quas servando patriam servamus: dedendo ad necem pa-  
triam deserimus ac prodimus. At fœda atq; ignominiosa deditio est. Sed  
ea cbaritas patria est, ut tam ignominia eam, quam morte nostrâ, si opus sit,  
servemus. Subeatur ergo ista, quantacung; est indignitas & pareatur ne-  
cessitati, quam ne dii quidem superant. Ite Coss. redimite armis civitatem,  
quam auro majores vestri redemerunt. COSS. profecti ad Pontium & c.

§. 85 Quis ergo diceret sponsonem non fuisse nomine & jussu mi-  
litum factam? Nominè exercitus loquebatur Lentulus, ire jubebat Coss.  
& spondere. Præsentes erant Romani milites & non contradicebant, ha-  
bendi ergo pro consentientibus & ratihabentibus imò pro jubentibus,  
ratihabito enim jussus est. g) Ex hac æquitate, jure privato qui patitur  
ab aliquo cui præsens est negotium suum geri, mandasse intelligitur, h)  
ut taceam milites facto ipso dum arma hostibus traderent, dum jugum  
subirent, dum obsides exhiberent, sponsonem Consulum approbasse.  
Instas: neq; in militum potestate fuisse, ut se obligarent hosti. Respon-  
debo, imò fuit. Totus ferè populus, certè maxima ejus pars, ut Lentu-  
lus ait, furculis includebatur, Nonne huic licuisset se vel altera etiam  
& minore parte invita ad id obligare sine quo ejus incolumitas con-  
stare non poterat. Si uni municipio, quod tamen minimam partem ci-  
vitatatis constituit, ex veriori opinione, permittitur, si aliter interitum cer-  
tissimum evadere nequeat, & civitas illud tueri non sit habilis, se hosti  
dedere, quidni etiam licitum fuisset majori huic parti promittere, se ad-  
versus hostem amplius arma non esse sumturam, præprimis, cum salvo  
hoc pacto in reliquis omnibus civitatibus prodesse valeat, nec ab ea plane  
abscindatur. Adde, quod omnes Romanorum milites pro captivis ha-  
bendi essent. *Debellatum est*, inquit Pontius, idem agnoscit Lentulus in  
modo recensita oratione. At Capivi pactum servandum esse ipse  
Grotius fatetur alibi. i) Quem non juvat, quod Samnites fide spon-  
sorum & obsidum contenti fuerint, adeoque, quod sibi imputent, ha-  
beant? Quis enim propterea milites ab obligatione liberatos fuisse dice-  
ret? Obsides fidejussorum instar fuerunt. Sponsores nomine totius mi-  
litia



litia sponſponderunt. Utrum itaque reus principalis ab obligatione liberabitur, quod creditor fidejussore contentus ipsi dilationem concedat? Non puto hæc Grotium esse concessurum.

§. 86. Erant igitur milites obligati ex sponſione. An & totus populus Romanus? Negat Grotius, negat Posthumius, negant omnes, qui justitiam armorum Romanorum defendunt ex ista ratione, quoniam subditi non possunt obligare populum, quoniam ex pacto partis non vincitur tota civitas. Additur inculpatio: Cur Samnites non miserint Romam, & exercitum tamdiu in furculis detinuerint?

§. 87. Ut à posteriori incipiam, non confundendi sunt actus prudentiæ, curæ actibus justitiæ, non misceri debent utile & honestum. Prudenter non fecisse Samnites concedo, & ostendunt latius ea quæ consulebat Herennius, quæ Ofilius prædicebat, quæ Livius ipse ea de re judicat. l) At hoc ad justitiam Romanorum nihil. Imprudenter agit ille, qui debitori quem scit morosum, credit fide simplici nec pignora ab eo aut fidejussore exigit, sed propterea à perfidia non liberatur debitor, qui fidem suam non liberat. Illud autem omninò falsum est & jaçantia solius indicium, quod Posthumius garrit m) populum non permissurum fuisse, ut sponſionem istam inirent, cum Lentuli oratio planè persvadeat aliud.

§. 88. Prius quod attinet, secernendam hic arbitror esse maximo pere obligationem directè ex sponſione oriundam & quæ occasione sponſionis nascebatur. Omnia argumenta dissentientium eo tendunt populum Romanum directè ex sponſione Caudina non fuisse obligatum. Ubi quidem urgere nolo, quod modo in ostendendâ obligatione militum adduxi, maximam partem populi istis angustiis pressam fuisse, adeoque ex jure majoris partis obligatos esse pauculos istos inermes, qui Romæ manserant. Nam video objicere Albericum Gentilem n) *Vocandos esse absentes, in arduis præsertim negotiis, & qui præsertim absunt ex justa causa. Quo omissa nec ipsos presentes obligari, certè non obligari absentes. Jam quis neget arduissimum illud fuisse negotium? abfuisse Romanos alios ex justissima causa? Cui equidem regerere possem quæ habet Grotius o) Si qui absentia aut aliter impediti jure suo uti non possint,*

l) vid. Liv. d. l. 9. c. 3. 7. & 12. m) vide supra §. 74. n) d. l. 2. c. 6. p. 164.

o) l. 2. c. 5. §. 20.



possint, eorum jus interim accrescere presentibus, sed ne hac ratione vastiori disputationi de jure presentium in absentes, me immisceam, age demus Grotio, demus Posthumio, directe populum Romanum ex ipsa sponsione non fuisse obligatum, dicemus tamen obstrictum fuisse ex obliquo.

§. 89. Liceat verò nobis ad hujus assertionis veritatem deducendam ipsius Grotii verbis uti p) *Sunt & alii modi, quibus potestas summa obligatur antecedente ministrorum facto, sed non ita ut id factum causa sit proprie dicta, sed ut occasio sit obligationis, idq; dupliciter vel per consensum, vel per rem ipsam. Per rem hætenus obligantur, ne locupletiores fiant aliena jactura, id est, ut aut contractum præstent, ex quo commodum volunt consequi, aut de commodo discedant. Et hætenus nec ultra recipi potest, quòd dicitur valere si quid utiliter gestum. Contra verò ab injustitia excusari non possunt, qui cum pacta improbent, tamen retinent, quòd sine pactis non haberent.*

§. 90. Non melius pro Samnitibus dicere potuisset eorum Imperator. Salvas acceperant legiones suas ex sponsione Posthumii, ergo vel sponsionem approbare, vel commodo abstinere debuissent. Jam cum legiones retineant, sponsionem tamen improbent, quomodo ab injustitia poterunt excusari. Atqui hoc est quod ipse Pontius Romanis objiciebat. q) *Samniti populo omnes quos in potestate habuit aut pro iis pax debetur. Si populum Romanum sponsionis ad furculas Caudinas factæ pœnitet: restituat legiones intra saltum, quo septem fuerunt, nemo quinquam deceperit, omnia pro infecto sint: recipiant arma, quæ per pactiorem tradiderunt: redeant in castra sua: quicquid pridie habuerunt, quam in colloquium est ventum, habeant. Tum bellum & fortia consilia placeant: tunc sponsio & pax repudietur. Ea verò fortuna iis locis, quæ ante pacis mentionem habuimus, geramus bellum. Nec populus Romanus consulum sponsionem, nec nos fidem populi Romani accusemus.*

§. 91. Recte omnia. Est enim ex primis Juris naturæ præceptis, neminem debere locupletari cum damno alterius. Ex hoc multa deduxerunt Jcti Romani, quæ jam singula exequi nostri instituti non est. r) Ex hoc inter alia propullulat actio de in rem verso, & maxima

F 3

p) lib. 3. c. 22. §. 3. q) Liv. l. 9. c. 11. r) Vide interim Grot. l. 2. c. 10. §. 2. Sed adde tamen Comment. Magnif. Ziegl. ad istum locum.



ex parte conditio sine causa. Et his quidem de in rem verso & sine causa conditionibus, (si accuratè intuearis & ex jure privato ad hanc juris publici controversiam comparationem instituere velis) maximè simile est postulatum Pontii, non restitutioni in integrum, quamvis alii forte restitutionis voce in oratione Pontii decepti, id arbitrentur. Qui enim restitui se petit, à contractu quem rescindi vult, recedere intendit, læsionem quandam in contrahendo commissam prætendens. At Samnites sponsonem ex sua parte servare erant parati, neq; in contrahendo se fuisse læsos querebantur, sed in eo quod Romani fidem servare nollent, Romanis igitur si qua actio Juris Civilis accommodari deberet, convenientior esset restitutio in integrum quam Samnitibus.

§. 92. Notari hæc debebant ad rejicienda ea, quæ speciosè pro Romanis adducit Albericus Gentilis. Postquam enim paulò ante s) verba Pontii ita fuisset interpretatus, ac si restitui in integrum voluisset, postea t) respondet restitutionem hic fuisse impossibilem, cum Samnites ex sua parte non potuissent famam & existimationem restituere u) quam subjugatione militibus Romanis abstulerant, non potuissent reddere occisos, quos interfecerant post sponsonem, si nimirum vultus eorum indignitate rerum acrior victorem offendisset, x) restitutionem verò ex utraq; parte æqualiter debere fieri, & unius defectum alteram etiam obligatione liberare. Addit porrò Gentilis: Non restitui minorem locupletiosem. At Samnites hic esse locupletiores, fatiatis quippe calamitatibus hostium. Et hoc enim lucrum esse, hosti fecisse male. Porro non restitui minorem delinquentem. At Samnites deliquisse, qui adversus suum fœdus probra, vulnera, mortes intulerint, non contenti armis, vestibus, bonis aliis Romanorum &c.

§. 93. Quæ singula prolixiorum quidem videbantur mereri censuram, nisi jam responsione generali modo adductâ essemus in salvo, & contra Grotium ejusq; affectas sufficienter ostendissemus Romanos deditione Posthumii fidem suam non liberasse, ut quod nec ipse Livius asserere ausus est, dubitanter hic loquens, & forsitan fide publica liberatâ deditos ac non acceptos Romam rediisse dicens. y) Majorem & generosi animi & justitiæ laudem merebantur Samnites; illius, quod deditos

s) l. 1. c. 6. t) l. 2. c. 6. p. 165. seqq. u) utitur etiam hoc argumento contra Samnites Henniges ad Grot. II. 15, 16. p. 753. x) Liv. l. 9.



stros non acciperent; hujus; quod & obsides, quos alias Jure Gentium  
externo interimere poterant liberos Romam dimitterent. z) Consen-  
tit nobiscum celeberrimus Pufendorffius a) quamvis paulò aliis uta-  
tur rationibus, quas infringere quidem conatur doctissimus Kulpifius,  
b) sed poterit huic, ut putamus, ex discursu nostro abunde satisfieri.  
Concludimus verbis Orosii c) *Hodie Romani aut omnino non essent,  
aut Samnio dominantis sevirerent, si fidem foederis, quam sibi servari à subje-  
ctis volunt, ipsi subjecti Samnitibus servavissent.*

## T A N T U M.

z) Liv. d. c. 11. a) l. 8. c. 9. §. 12. b) Colleg. Gror. ad lib. 2. c. 15. th. 5. lit. u. c) lib. 3.

## D E C A S

### CONTROVERSIARUM JURIS VARIII.

#### *Ex Jure Naturali.*

I. Etsi Liberi graviter peccent, parentum con-  
sensum ad nuptias non adhibendo, tamen eo ne-  
glecto nuptiæ hoc jure subsistunt.

II. Quamvis dolor, qui ad formale poenæ spectat,  
naturæ animali sit adversus, & invito inferatur, ni-  
hilominus tamen delinquens ad poenam patiendam  
verè est obligatus.

#### *Ex Jure Publico.*

III. Præsupponit quidem Vasallagium superiori-  
tatem Domini directi, sed non tollit tamen superio-  
ritatem Territorialem Statuum Imperii aut minuit,  
uti nec Majestatem.

IV. Salvâ dispositione A. Bullæ c. 5. §. 1. poterunt  
Vicarii Imperii de feudis Regalibus cognoscere.

#### *Ex Jure Feudali.*

V. Non accurate inter species feudi improprii  
re-



refertur Dominium plenum alicui sub fidelitatis præstatione concessum. Nec hanc sententiam quicquam juvat *II. F. 48.*

VI. Non obstante textu *II. F. 26 §. Naturalis.* verius videtur, Legitimos à Patre liberos etiam mediante rescripto Principis, in feudo succedere.

*Ex Jure Ecclesiastico.*

VII. Senibus quidem at non Eynuchis matrimonium concedi potest.

VIII. Marito adulteræ & uxori adulteri non videtur salva honestate permitti posse conjugium, etsi inter se nec consanguinei nec affines sint.

*Ex Jure Privato.*

IX. Testamentum in cujus exteriori parte testator scripserat, se nolle, ut id amplius valeat, evanescit, non obstante *l. 27. C. de testamentis.*

X. Ultimum locum obtineat Problema sequens. Renatus quidam origine Remensis Parisiis habitationem conduxerat, & facto testamento instituerat Xenodochium Parisiense. Postea novis conscriptis tabulis dixerat: *Xenodochium Parisiense heres esto, si moriar Parisiis. Sin Remis moriar, non Parisiis, aut alio loco, Xenodochium Remense heres esto.* Contigit autem ut testator moreretur in loco quodam tertio, Parisiis tamen proximior quam Remis. Quæritur ergo ad quem spectet ejus hereditas? An ad cognatos, an ad heredes testamentarios, & quos?

F I N I S.











Nur für den Lesesaal!

Leipzig, Diss., 1684

ULB Halle

3

006 774 873




WMA











B.I.G.

Farbkarte #13

18.

D. B. V. 1684, 28<sup>a</sup>

35

Superiorum  
TATIONEM  
TIUM PUBLICI

De.

# SIONE NORUM DINA,

n Decade

*arum Juris Varii*

ÆSIDE

ANO THOMASIO,

niter proponit

ic/von und zu *Wonkel*/

qves Siles.

nbr. M DC LXXXIV.

L. Q. C.

HANNIS GEORGI.

